

# PALAESTRA

## LATINA



ANN. XXX (Fasc. I) — N. 169  
M. A. MARITO MCMLX

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Constat in Hispania et America Hispanica: 60 pesetis; in Gallia: 8 francis; in Italia: 1.000 libellis; in Germania: 6'5 marcis; in Anglia: 12'5 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAESTRA ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetis; in Gallia: 2'5 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania: 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

Pretium mittatur oportet ad **ADMINISTRATOREM**: Lauria, 5, Apartado 1042 - **BARCELONA** (10)  
vel ad **PROCURATORES** singularum nationum  
Scripta ad **Moderatorem**: Conde, 2 - **BARBASTRO** (Huesca)

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## INDEX

ANN. XXX (Fasc. I) N. 169

M. MARTIO A. MCMLX

J. JIMENEZ, <i>De ratione et via ad communem linguae latinae usum</i>	1
<i>Eminentissimus P. Arcadius Larraona Cardinalis</i>	11
J. van den BESSELAAR, <i>Philologiae oratiuncula de bonis litteris sedulo colendis</i>	12
J. EBERLE, <i>Ad poëtas</i>	19
F. ALOISE, <i>Thynnorum piscatio</i>	20
M. M. ECLOGARIORUM CURATOR, <i>Epistularum eclogarii</i>	23
<i>Sociorum quaesitis et epistulis responsa dantur</i>	25, 27
J. IJSEWIJN - J. M. <sup>o</sup> MIR, <i>Epistularum inter socios commercium</i>	26
J. M. <sup>o</sup> MIR, <i>Nova et Vetera: Dactylographum</i>	28
L. M. SANSEGUNDO, <i>De varia M. T. Ciceronis epistularum inscriptione</i>	34
J. SIDERA, <i>Per Orbem</i>	37
BIBLIOGRAPHIA, Philoponus, Molina, Marqués, González, Sidera, Brasero, Aramendía	36, 41
PALAESTRA ADULESCENTIUM	
Lecti in triclinio sunt parati	53
M. MANGEOT, Latrones noctu domum irrumpunt	54
Alumni inter se litteras dant, Facete dicta, Verborum aenigma.	56
J. M. MARTINEZ, Mei optimi amici, L. DELMAS, Ad saltum equi	57
C. Mucius Scaevola	58
J. BELTRAN, Obscurae venient rursus hirundines	60
E. J. MARTIN, Orate fratres, J. GALLINA, De ritu	61
H. H. HUXLEY, Num bene poëmata horatiana novisti? Verba quadrata e verbis Aeneidos composita	62
P. PIAZZA, Duae sorores, CAMPS, Aenigmata, ORTIZ	63
Periit gallus, pro dolor!, Solutiones, Facete dicta	64

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXX (FASC. I) — N. 169

M. MARTIO

A. MCMLX

## De ratione et via ad communem linguae latinae usum

Difficilem esse viam, hac nostra aetate, ad communem inter doctos linguae latinae usum, non est ambigendum; difficilem sane, sed nullo modo imperviam; immo viam esse ex qua uberiores honestioresque fructus ad humanum cultum percipi possint, si tempestive et diligenter opportuna remedia adhibeantur. Sed quae sunt haec remedia?

In primis ea quae superiore Avennico Conventu magna omnium consensione vota et sancita sunt. In ipsius Conventus Commentariis seu Annalibus multa invenies; sed, nisi fallor, in his quae sequuntur paragraphis, summa rei, de qua nobis sermo est, continetur:

I. Sermonis latini paedagogia ne eorum opinione afficiatur qui linguam latinam mortuam linguam praedicant.

II. Totis viribus entendum ut sermonis latini institutio ac disciplina minus severa reddatur, magisque psychologicae puerorum indoli sit accommodata, quin tamen in quoddam levioris facilitatis periculum incidatur.

III. Rogantur magistri ut discipulos ordine et ratione comparare cogant atque amplificare idoneum vocabularium quo legere scriptores facile possint.

IV. Docendi rationes seu methodi quae «activae» dicuntur, in tradendo quoque sermone latino commendantur.

V. Magistri linguae latinae rogantur ut latine conscribant et inter se quam maxime et etiam cum pueris in schola latine colloquantur.

Harum rerum commentarium longius quam par est argumentum nostrum protraheret. Patent verba et rationes quibus hae sententiae clare et luculenter commendabantur in ipso Conventu Avennico<sup>1</sup>. Liceat autem mihi duo tantum proferre remedia seu incitamenta, quae maxime ad rem pertinent.

---

1. *Latin vivant*, pp. 164-169; cf. *PALAESTRA LATINA*, n. 158 (1957) 66-71.

Atque in primis de linguae latinae usu in puerorum institutione; deinde de schola speciali erigenda ad magistros linguae latinae rite informandos.

## I. DE USU LINGVAE LATINAE IN PUERORUM INSTITUTIONE

Non defuerunt in superiore conventu qui hanc causam strenue agerent.

Dr. Ericus Burck, in Universitate Kielensi in Germania Professor, magnis viribus clamitabat: «Latine loqui, latine loqui, iterum iterumque latine loqui»<sup>2</sup>. Hoc est enim praecipuum remedium.

Quia revera omnes artes maxime exercitatione discuntur. Longum enim est iter per praecepta, breve et efficax per exempla. Est adagium quod hexametro ita contractum est: *scribere scribendo, dicendo dicere discis*. Ergo si volumus ut docti homines libenter et ex tempore lingua latina utantur opus est eos pueros jam in scholis eadem lingua exerceri colloquiis, publica orationum declamatione, fabellarum enarratione, canticis, sed maxime scriptione jugique classicorum lectione.

His aliisque exercitationibus quibus olim pueri et adulescentes lingua latina exercebantur eamque libenter excolebant id effectum est ut plerisque non solum grammaticè sed et latine loqui et scribere contingeret et id quidem, de omni re scibili, facilitate quadam maxima. Nec alia via ad hoc inveniri potest praeter hanc tritam exercitationis linguae et scriptionis.

Sicut enim

«nec medici nec imperatores nec oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt, sic officii conservandi praecepta traduntur illa quidem, ut facimus ipsi, sed rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat»<sup>3</sup>.

Ergo scriptione imprimis opus est, quia revera «stilus optimus et praestantissimus est dicendi effector atque magister»<sup>4</sup>. Cave tamen ne nimium festinanter aut inconsulte scribas; cito enim scribendo non fit ut bene scribatur, bene scribendo fit ut cito<sup>5</sup>.

Ergo ut usus linguae latinae inter doctos —res quidem magni momenti— instauretur in omnibus non tantum inferioribus scholis, sed in superioribus praesertim et in Universitatibus, scriptionem latinam iterum florere decet et in ea exercitatione jugiter latina exemplaria nocturna versari manu, versari diurna. Praecipuus enim et maximus inde nascetur fructus.

Nihil mirum igitur si magistri omnes, qui altam linguae latinae cognitionem propugnant, tantopere commendant scriptionem latinam; nam *cognitio linguae latinae minuitur prout minuitur scriptio*. Ipse alibi testimonia nonnulla

2. *Latin vivant*, p. 61.

3. Cic., *Off.* I, 18, 60.

4. Cic., *De orat.* I, 33.

5. *QUINT.*, 10 3, 2.

tradidi quibus doctrina haec comprobatur<sup>6</sup>. Cum vero his temporibus tam parvi habeatur hujus exercitationis usus, quid miramur de labenti linguae inclinatione et de exiguo numero eorum qui eam studio et amore colant eamque bene calleant? Scribendum igitur quam diligentissime et quam plurimum.

Haec fuit sententia Dris. J. Enk Groningensis, Avennione omnium plausu prolata:

«Si igitur denuo usurpari cupimus in conventibus virorum doctorum, qui cujusvis generis disciplinis operam dent, primum curandum est ut philologi classici in omnibus orbis terrarum partibus denuo commentationes suas latine scribant et deinde ut magistri in Gymnasiiis Lycæisque tali modo linguam latinam doceant, ut discipuli sermone latino simpliciore in epistulis commentatunculisque uti possint. Quod si discipuli themata facere non jam discent, non dubito quin eorum scientia minor futura sit quam ut postea sermonem latinum in vita cottidiana usurpare possint»<sup>7</sup>.

Ipse Sanctius Brocensis, qui tam acerbe clamat contra linguae latinae garrulos, qui barbaro inconditoque sermone ipsam corrumpunt latinitatem, eos tamen laudat qui scriptione, meditatione scriptores classicos accurate colunt. Immo

«quicumque —inquit— aliquando peritiam latinae linguae est assecutus, Petrum Bembum, dico aut Osorium, aut nostrum Pincianum, non loquendo sed scribendo, meditando et imitatione id sunt assecuti»<sup>8</sup>.

Ergo si cupimus linguam latinam omnibus sapientibus communem, in primis opus est ea, quam plurimum, pueros jam a prima aetate scriptione maxime uti ita ut paulatim et gradatim colloquium latinum facilius instituere possint. Sed si latine loquendum est, prius necesse est rationem et viam linguam latinam tradendi funditus instaurare atque novare. Quod nunc potissimum urget cum tantilli temporis spatium linguae latinae fere ubique tribuatur.

Sed ut alacriter, accurate, fructuose linguae latinae pueri dent operam, opus est in primis ut haec tria consilia magna cura assequi conemur:

a) *Ut pueris lingua latina viva vigensque proponatur, eamque ita sentiant, non mortuam, sed vigentem.* Professor G. Beach in Avennico Conventu egit de ratione et via tradendi linguam latinam et hoc maxime in puerorum institutione commendandum censuit, sententiam pravissimam qua lingua latina demortua haberetur, eam e mente omnium hominum, maxime puerorum

6. JIMÉNEZ DELGADO, *La traducción latina*, pp. 53-55, (Madrid, 1955); cf. PALAESTRA LATINA, n. 158 (1957), p. 68, n. 41.

7. *Latin vivant*, p. 116.

8. Sanctii Brocensis, *Minerva*, pp. 855-862 (Amstelodami 1761), ubi notandum est ultimum ad linguam latinam documentum: «Latina lingua comparanda non colloquio, sed stilo».

eorumque parentum, evellendam, exstirpandam, funditus tollendam<sup>9</sup>. Eandem sententiam tulerunt Curtius Stegman von Pritzwald<sup>10</sup>, Basilius Hypeau<sup>11</sup>, Renatus Marache<sup>12</sup>.

Ergo latina lingua non mortua, sed viva semper, et vivida ratione pueris proponatur; nam linguam mortuam eis praebere idem est ac de morte et funere ipsius agere, quod omnes, pueros praesertim, maxime terret.

b) *Ne diutius protrahatur puerorum in lingua latina institutio, quae a prima aetate incipi debet.* Petrus Caillon testatur se pueros sex tantum vel septem annos natos linguam latinam edocuisse, eosque inter se latine loqui facile assuevisse de communioribus hodiernae vitae rebus<sup>13</sup>.

Nobilis scriptor Montaigne narrat se linguam latinam puerulum apprime didicisse, cum pater eum instituendum tradidit magistro cuidam germanico, qui, sermonis gallici ignarus, non nisi latine cum eo loqueretur; immo legem patrem tulisse, vi cuius nemini liceret cum puero alia lingua loqui, quam latina. Ita factum est ut aliquot post annos omnes in arce, et parentes, et domestici, et servi latine loqui scirent<sup>14</sup>.

In ipso Conventu Lugdunensi socii fuerunt, vir et femina, qui domi cum puella saepe latine loquuntur.

Inter causas minoris exitus in hodierna puerorum de lingua latina institutione, nequaquam minima haec, de qua loquimur, habenda est, ipsius sera institutio, de qua acerbe queritur Guilbertus Hightet in opere cui titulus est «The Classical Tradition»<sup>15</sup>.

Et apud Romanos constat omnes doctos homines lingua graeca bene imbutos esse; teste enim Cicerone<sup>16</sup>, graeca legebantur in omnibus fere gentibus, latina suis finibus, exiguis sane, continebantur. Unde Quintilianus a sermone graeco puerum incipere malebat, hac ratione potissimum nixus:

9. *Latin vivant*, p. 81.

10. *Latin vivant*, p. 88.

11. B. HYPEAU, O.S.B.. «Dans la mesure où le latin redeviendra une langue vivante, les professeurs devront modifier l'orientation de leur enseignement. Il s'agira moins de traduire du latin en français que de parler latin, de lire du latin, d'écrire en latin», cf. *Latin vivant*, pp. 220.

12. R. MARACHE: «Les études latines sont conduites actuellement en France d'après une conception parfaitement logique et cohérente qui se déduit à partir d'un postulat fondamental: le latin est une langue morte. Il est par conséquent absolument inutile de le parler, tout aussi inutile de l'écrire», cf. *Latin vivant*, p. 150.

13. P. CAILLON, *Latin à 6 ans* (Imprimerie Bretonne, Rennes, 1956).

14. Cf. M. FORNACIARI, *Latinorum*, p. 66 (Edit. Gustavo Gili, Barcelona).

15. G. HIGHTET, *La Tradición Clásica*, vol. 20, p. 285 ss. (México, 1954); JIMÉNEZ DELGADO, *El latín, disciplina clave*, «Helmántica» 10 (1959) 58-59.

16. Cic., *Pro Archia*, 23.

«quia latinum ipse qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus perbibet, simul quia disciplinis quoque graecis prius instituendus est, unde et nostrae fluxerunt»<sup>17</sup>.

Sed quo tempore puerorum institutio incipi debet? Non multo post decem vel undecim annos institutionem — quantum in nobis sit — sumendam putamus, h. e. quam primum, prout puerorum condicio et rerum adjuncta ferant. Ita fiet ut sensim sine sensu et vocabula et verborum flexiones et vocabulorum nexus facilius et altius adolescentium animis perbibant in iisque penitus inhaereant.

c) *Ut tantum temporis et laboris linguae latinae tribuatur quantum necesse sit ad bene eam discendam et in communi sapientium commercio adhibendam.*

Atque re vera, quam parum temporis tribuitur nunc multis in nationibus linguae litterisque latinis! Quod quidem ridiculum est, ne dicam miserabili lamentatione dignum; cum non, nisi post aliquot annorum spatium et post assiduum laborem, altam linguae latinae cognitionem et usum adipisci possimus, praesertim si de illa institutione sermonem facimus, quae ex praestantissimis scriptoribus in adolescentium defluit animos eamque dicendi rationem et colorem vere latinum nancisci volumus, quo grammaticae, pure, latine loquamur.

In adhortatoria Epistula Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus «De latina lingua rite excolenda»<sup>18</sup> valde commendatur ut ad eam discendam justa concedatur alumni facultas; quia ut ejus praecepta doctrina et usu optime percipiantur — cum praesertim haud parvae obstant difficultates — multum temporis et laboris opus est.

Josephus Maria Mir, clarus Palaestrae Latinae moderator, ad rem haec habet<sup>19</sup>:

«Nullo igitur modo paucae tribuendae sunt horae linguae latinae, sed quod rei praestantia et adolescentium patitur aetas et apta studiorum ordinatio».

Hoc est principium seu axioma, quo studiorum ordo cujuscumque collegii, sive ecclesiastici sive laici regi debet.

Quod ad Seminarios et Religiosorum Collegia sese refert, ipse Josephus Maria Mir jure censet linguae latinae litterarumque studio quinque saltem annos assignandos esse, ita apte scholis distributis ut per quinque saltem et triginta horas per illud annorum spatium in hebdomada, dato quoque idoneo ad parandas scholas tempore<sup>20</sup>.

17. QUINT., 1, 1, 12; cf. H. I. MARROU, *Histoire de l'éducation dans l'antiquité*, pp. 345-358, tertia editio (Paris 1955): *La question des langues: grec et latin*.

18. *Acta Apost. Sedis*. 50 (1958) 295.

19. MIR, PALAESTRA LATINA, n. 165 (1959) 19.

20. Id., *Ibidem*.

Magistri anglici, qui de hac re consulto egerunt<sup>22</sup>, eandem fere expriment sententiam. Quinque saltem scholas in hebdomada requirunt per aliquot annos, sc. sex vel septem. De linguis enim dici potest, ea tantum sciri quae assidua exercitatione in animum alte permanerint. Cognitio linguarum et usus habitus quidam est; habitus vero tantum fit continua mentis exercitatione atque repetitione. Si numquam festinandum est, quia festinatio pessimos et vanos gignit fructus, multo minus in linguarum institutione. Haec habent magistri illi anglici, et omnes —ut ita dicam— qui per annos aliquot linguae latinae disciplinam tradiderunt.

Sed pro dolor! In dies minuitur magistrorum numerus qui linguam latinam doctrina et usu optime perceptam habeant, quique in puerorum institutione sint apprime versati. Causae hujus rei? Forte eae ipsae sunt quas Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus commemorat in Epistula saepe laudata «De latina lingua rite excolenda»<sup>23</sup>:

«Sunt qui, severiorem sententiam secuti, nimis et temporis et curae philologicis per investigationibus tribuant atque doctissimis quidem ac paene infinitis elucubrationibus discipulorum mentes referant: quid mirum, si tantam doctrinae congeriem oscitanter accipiunt alumni atque fastidiunt?

Alii contra, quibusdam recentioribus instituendi praeceptis indulgendo, censent discipulis, paucis dicendi scribebique legibus acceptis, quam primum in lectionem optimorum latinorum Auctorum esse incumbendum. Quo fit, ut discipuli, necessariis rudimentis haud instructi, omne genus difficultatibus prohibeantur, quominus quae legant recte interpretari valeant; quamobrem crebro accidit, ut pueri, vanis infructuosisque inceptis fatigati, animo ita deficiant, ut desperent se id quod conantur assequi posse».

Hos duos scopulos vitare debet bonus magister. Sed ubi sunt boni magistri? Desunt re vera magistri qui linguam latinam bene sciant pueris doctrina usuque tradere.

Ergo si linguam latinam instaurare volumus eamque usu a doctioribus adhiberi, primum opus est ut de magistris instituendis curam habeamus, ut quam primum et quam plurimi in singulis nationibus parati sint qui magno studio, doctrina, amore magnoque alumnorum commodo et profectu huic nobili labori dent operam. Sed de hac re, quamquam plurima dici possunt, cum haec nostra oratio longius quam par est protrahatur, paucis absolvam.

## II. DE SCHOLA ERIGENDA AD MAGISTROS LINGUAE LATINAE RITE INFORMANDOS

Si altam veramque volumus linguae latinae cognitionem et usum adipisci, opus est in primis accurata magistrorum effectio et informatio. Sicut enim exercitus sine prudentibus strenuisque ducibus ad victoriam non per-

22. *The Teaching of Classics*, pp. 31-32 (Cambridge, 1954).

23. *Acta Apost. Sedis* 50 (1958) 294-295.



venit, neque cives sine vigili sapientique rectore gloriosum nomen consequuntur, ita pueri sine magistris rite eruditus in regia sacraque linguae penetralia ingredi nequeunt<sup>24</sup>. Hoc ergo primum sit opus, hic labor praecipuus, ut vota consiliaque nostra vim habeant. Haec enim ars potior et ratio, tutiorque via est ut pueri lingua latina erudiantur. Atque in primis bonus magister enixe curat ut disciplina quam tradit grata fiat jucundaque discipulis; unde ipse benignus est et puerorum inconstantiae patiens, non querulus, non plagosus, non taeter. Quot pueri jam a primis scholis taedio linguae latinae affecti sunt malo magistrorum ingenio et natura. Audi Sanctum Augustinum querentem: «Quid autem erat causae, cur graecas litteras oderam, quibus puerulus imbuebar, ne nunc quidem mihi satis exploratum habeo»<sup>25</sup>. Paulo post haec addit: «Nulla enim verba illa (sc. graeca) noveram et saevis terroribus ac poenis, ut nossem, instabatur mihi vehementer»<sup>26</sup>. Magister ille nimium durus atque severus, nullis salibus disciplinam condiens, immo quasi felle aspergens, Sanctum Augustinum a studiis linguae et litterarum graecarum avertit.

Hoc ergo maxime curandum est nobis ut bonos magistros paremus.

Professor G. Beach magistris linguae latinae vehementer succenset, qui numquam lingua latina in scholis utuntur, neque latine commercium epistulare foveant, nec latine cum aliis magistris colloquuntur.

«Qui quod magistri linguarum hodiernarum, quandocumque conveniunt, eos qui eandem linguam profitentur, colloquendi gratia statim indagant et odorantur?... Censeo igitur non modo oculos arte legendi verum etiam linguam arte loquendi aurisque arte sermonis intelligendi erudiendas esse ut lingua discipulis viva videatur»<sup>27</sup>.

Deinde magna cura adhibeatur in seligendis linguae latinae magistris.

Haec ratio est cur Sacra Congregatio de Seminariis in Epistula supra laudata *De latina lingua rite excolenda*, cum de remediis agit ad vitia radicitus extirpanda, quae prius denunciaverat, in primis accuratam magistrorum selectionem proponat his gravibus verbis:

«Dubitari non potest quin ad linguam latinam in pristinum florem vigoremque restituendam, primum locum obtineat accurata selectio magistrorum. Perspicuum est enim nullum hujus disciplinae profectum esse sperandum usque dum magistri haudquaquam idonei huic operi addicti fuerint. Nam Visitatores Apostolici communi sententia affirmant ex hoc potissimum prodire valde dolenda consecutaria, quod scilicet huic disciplinae tradendae saepe saepius magistri praepoantur haud pares. Curent igitur Ordinarii, ut discipulos doctis praeceptoribus solummodo committant, his in primis qui, cum altius ac diligentius apud Universita-

24. Cf. MIR, *PALAESTRAM LATINAM*, n. 165 (1959) 14-16; CAMPOS, *Helmantica* 10 (1959) 209-213; A. CAYUELA, *Humanidades Clásicas*, p. 595 (Zaragoza, 1940).

25. *Conf.* I, 13.

26. *Conf.* I, 14.

27. *Latin vivant*, p. 81.

res studiorum in litteris elaboraverint, sint instituendi docendique periti; qui si desint, omni contentione eos parare enitantur» 28.

### Quod plane Josephus M. Mir evolvit et exponit hoc pacto:

«Ut autem alumni id assequantur quod Sacra desiderat et praecipit Congregatio: ut loquantur et scribant lingua latina, opus est ut praesto sint eis magistri, qui non tantum veterem quandam et usu tritam tradant grammaticam, sed ut auctores ipsi perlegerint et in schola latina loquantur lingua ac diligenter, prudenter, sapienter corrigant, emendent, expoliant alumnorum scripta. Perquam exitiosa praeterea est eorum opinio qui arbitrantur linguae patriae et latinae alumnis tradendae quemlibet inservire posse laicum hominem vel clericum qui his linguis semel, cum pueritiam ageret, operam dederit. Quo saepe numero magister ille constituitur qui nullos secum habet libros, qui bibliothecas non convenit, qui superiora studia non est exsecutus, qui coetus, ubi viri doctrina et arte docendi peritissimi congregantur, nullos adit, aut hujus linguae specialia curricula non perfecit; qui nec verbum scit neque nomen audivit eorum magistrorum qui in patria et apud exterarum nationum libros evulgant doctrinae et scientiae refertos et in re grammatica utilissimos. Qua ratione hi latinitatis magistri alumnorum animos conformabunt? Nonne alumni aegritudine prementur, linguam latinam fastidientes, cum videant magistrum indoctum aut illius aptae praeparationis expertem qua ornari deceat magistrum?» 29.

### Quod si magistri maxima cura non parantur,

«inutile prorsus est —addit ipse Josephus M. Mir— in constituenda studiorum ratione et ordine quinque sexque annos in linguam latinam discendam insumendos praescribere si idonei desint doctores aptique libri; itque libri et magistri vel maxime primis institutionis annis sunt delegendi cum priores posteriorum annorum sint verum ac praecipuum fundamentum, quo qui careant magnam aedificii molem super instruere nunquam poterunt» 30.

Quid ergo? Exemplum ab Ecclesia Catholica sumamus, in qua Romani Pontifices semper de linguae latinae cultu vehementer et sollicitè curarunt, eoque studiosius egerunt quo deteriorem in statum eam decidisse conspiciabant. Hac ratione ductus Pius Papa XI in Universitate Gregoriana anno MCMXXIV Scholam specialem litteris latinis tradendis erigendam curavit, quam his praeceptis conformari voluit:

I. *Praeceptores*: Quemcumque Societatis vel Athenaei moderatores ad tale munus, de Nostro consensu, delegerint, is sibi religiose proponat, ut auditores, seu praestantissimorum latinitatis exemplarium commentatione, seu crebris latine scribendi exercitationibus, ad exquisitiorem orationis formam excolat atque evehat.

II. *Alumni*: Schola omnibus pateat, ne laicis quidem hominibus exceptis. Eandem celebrari cupimus ab his etiam Seminariorum religiosarumque Sodalitatum alumnis, qui aut domi aut apud alia Athenaea docentur, immo —quod certe emolumento vacuum non foret— vel a sacerdotibus junioribus, qui Romanae Curiae operam suam navant. Episcopi autem Italiae atque exterarum gentium rem dioecesibus suis utilissimam Nobisque pergratam facturi sunt, si quos habent clericos haec disciplinis sacris imbuendos, eorum aliquem, prae ceteris ad latinitatis studia propensum, Scholam propediem aperiendam frequentare jusserint.

28. Cf. Epistula «De lingua latina rite excolenda», *A. A. S.* 50 (1958) 293.

29. Cf. MIR, *PALAESTRA LATINA* n. 165 (1959) 14-15.

30. Id., *Ibidem*, p. 15.

III. *Tempus*: Ejusmodi litterarum latinarum curriculum, in praesens atque interim, biennio contineatur. Auditoribus, qui, post completum biennium, se, periculo facto, delectis iudicibus probaverint, testimonium, seu diploma, curriculum egregie peracti tradatur. Quod quidem testimonium seu diploma, quicumque impetrarint, iidem in certaminibus ad quaevis officia apud Sacras Congregationes, Curias dioecesanarum et Seminariorum ludos consequenda propositis, ceteris paribus, praeferantur.

IV. *Praemium*: Qui, dato post biennium latinae scriptiois experimento, non modo reliquis condiscipulis praestiterit, sed iudicibus peculiaris dignus praemio communiter visus erit, eundem numismate aureo donabimur<sup>31</sup>.

Quicumque huic altero de lingua latina viventi Conventui Lugduni adsumus, credo nihil nos posse praestantius efficere, de nulla re majoris momenti nos agere posse, quam de nova schola instituenda et instauranda, ubi vota et consilia quae a nobis inquisita, censa, decreta sunt, quam primum et rectius adimpleantur; ad quam scholam undique convenient non tantum adulescentes sed et magistri et docti homines, qui doctrina, exemplo, incitatione praeceptorum velint linguae latinae assuescere. Praeceptores non deerunt qui verbo et scriptis ad altam linguae latinae cognitionem et usum alumnos excitent, ita ut post aliquod tempus lingua latina sit illis familiaris et cara.

Hujus scholae ordinatio magna cura inquirenda et definienda est, tum quod ad praceptorum numerum et virtutes, tum quod ad alumnos, tempus rationemque docendi. Negotium quidem arduum, sed magni momenti.

Consulto nunc ad singula opus est. Habemus optima consilia, sed nisi hanc novam scholam instituerimus eamque recte ordinaverimus, erunt nobis in horum Conventuum Commentariis seu Annalibus tanquam in vagina recondita. Consulto igitur, sed potius facto opus est, ne omnium nostrum studia et desideria vana videantur et commenticia.

Nobis ergo incitamento sint et stimulo ad hoc, tum Romanorum Pontificum testimonia et exempla, tum clarorum scriptorum sententiae et doctrina. Memores simus illius Arturi Schopenhauer sententiae: «*Qui latine nescit in plebicula numerandus est, licet peritissimus sit artis physicae et chemicae*». Ipse contra malos linguae latinae magistros vehementer clamabat, quorum ope adulescentes *viam ingrediuntur pigritiae, ignorantiae, barbariei*.

Ut igitur tam funesta omina a nobis avertamus et ab adulescentibus nostrae aetatis, novam scholam quam primum instaurare curemus oportet ubi magistri rite informentur et exercentur scientiae et linguae latinae usu.

Ita fiet ut sermo latinus communis tandem inter doctos viros deveniat.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

---

31. *Enchir. Cler.*, n. 1202, p. 648.



# EMINENTISSIMUS P. ARCADIUS LARRAONA CARDINALIS

*Eminentissimus P. Arcadius Larraona C. M. F. a Joanne XXIII Pontifice Maximo Pater Cardinalis Sanctae Romanae Ecclesiae nuper creatus est; quo quidem honore tota Hispanorum natio et Congregatio Claretiana magnopere gaudent et amplissime honestantur.*

*Clarissimus vir —qui anno 1903, mense decembri, die 8, Vici (in Barcinonensi provincia) vota religiosa in Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Mariae nuncupavit et anno 1911 sacro Sacerdotii ordine est decoratus—, duo et septuaginta abhinc annos in Navarra, nobili Hispaniae provincia, natus erat.*

*Romae, in capite christiani orbis, anno 1914 studia ecclesiastica in Athenaeo Lateranensi complet, ubi Laurea Doctorisque dignitate in utroque Jure omnium laude potitus est; anno vero 1918 illud praestantissimum Professoris curriculum iniiit quo ad haec usque tempora, dum Juris doctrinam tradit, egregiam selectamque alumnorum multitudinem instituit, Commentarium pro Religiosis una cum aliis egregiis sociis Claretianis condidit suisque elaboratis commentationibus et annotationibus instruxit.*

*Anno 1944 vices gerit Ab actis Congregationis negotiis Religiosorum praepositae et anno 1944 Ab actis ejusdem Congregationis creatur. Qui dum haec sacra munia exsequitur eos, qui se vitae religiosae votis obstrinxerunt singulari plane cura monitis, doctrinis, coetibus, Congressibus, praeceptisque —quo vitam suam perfectius amplecterentur et viverent— instruxit et illustravit.*

*PALAESTRA LATINA —commentarium a sociis Claretianis exaratum, quod in litteras latinas vel maxime provehendas et in usum inducendas incumbit—, est cur novo Patre Cardinali magnopere gaudeat. Nam ingenuae litterae et Latinae earumque altius studium, maximum ab Eminentissimo P. Larraona adiumentum et incitamentum acceperunt; qui quidem e sede sua in Congregatione Romana studia humaniora excitavit et provexit eaque —praesertim ex luculentis monitis et praeceptis quae continentur in Statutis Generalibus in Constitutionem quae Sedes Sapientiae dicitur—, in ipsum fundamentum in ipsamque institutionis sacerdotalis, religiosae, apostolicae radicem certo prabatoque iudicio collocavit.*

*PALAESTRA LATINA igitur ejusque moderatores Eminentissimo P. Arcadio Larraona ex imo gratulantur eique, ut in suscepto munere multos annos in bonum totius Matris Ecclesiae laborare possit, bene precantur.*

PHILOGIAE  
ad Florem Juventutis Academicae  
ORATIUNCULA  
DE BONIS LITTERIS SEDULO COLENDIS  
vel potius  
QUERELA  
DE CONCORDIA DOMESTICA TURBATA  
*quam scripsit*  
BACARIUS VERDANUS

*Loquitur Philologia:*

Hoc tempore, cum Alma Mater mira quadam liberalitate hujus Academiae fores denuo reserat, novum ad dilectum tironum in sinum gremiumque excipiendum, peropportunum, immo vero necessarium mihi videtur brevi vos adhortatione alloqui. Licet docti sint magistri vestri et omnibus eruditi litteris, equidem haud temere tamen contendere ausim nullum eorum magis quam me decere hoc pietatis officium exsequi. Illa ego Philologia, cujus nomen longe lateque vagatur, non materno sed avito quodam jure vobiscum verba facio, quippe quae sim mater omnium bonarum artium, quarum auctoritate impulsus viri olim sapientissimi ipsas quoque Universitates condiderunt.

Sed qui fiat ut me pannosam tamque decrepitam atque misellam conspiciatis, fortasse miramini. Recte id quidem. Res enim ipsa hortari videtur supra repetere ac paucis multa mea adversa, ut paulatim immutata e pulcherrima virgine matreque nimis laetabunda deformis vetula exilisque facta sim, disserere. Garrulitati anili, quantum potero, moderabor et summa sequar fastigia rerum.

Patria mea, ut ipsum nomen indicat, Graecia est, quam merito omnes totius orbis terrarum sapientes fontem atque originem politioris venerantur humanitatis. Ejus est quod vivo et spiro, regia stirpe nata, patre Philopono et matre Paidéia, quorum si nobilitatem recordor, vix me contineo quin lacrimem rerum coacta praesentium pudore. Ignoscatis mihi velim, ut mulieri eique vetulae, si quid liberius et propemodum arrogans dixerō. Veritatem etsi probe scio odium invidiamque parere, coram vobis, o dilectissimi juvenes, aperte ingenueque effutiendo quod sentio, animum libenter levabo. Tam praeclara, tam eximia formae venustas meae erat, ut multi cives advenaeque me ut ipsam prorsus Venerem religiosis colerent adorationibus, et

omnes juvenes, etiam si quis Hippolyto fastidiosior esset muliebris pulchritudinis, parentes meos certatim beatos praedicarent, sed magis eum cui aliquando contingeret me domum deducere. Attamen mores mei casti, quos noverat aurem qui modo non habebat Batavam, retundebant linguas hominum etiam maledicentissimorum falsumque esse magnifice probabant quod ille conviciator Juvenalis contumeliose dixit raram esse concordiam formae atque pudicitiae.

Nemo vestrum nescit me, jamdudum viro maturam, parentes in matrimonium dedisse, non cuivis mortali, sed ipsi Mercurio, sollerti admodum atque formosissimo deo. Nam in omnium fere manibus, credo, versantur libri illi disertis quos Martianus Capella, vir doctissimus meique amantissimus, De Nuptiis Philologiae et Mercurii scite edepol composuit. Di immortales! Ut Venus nobis leniter arridebat! Quot oscula carpebamus, quot verba blanda dabamus et accipiebamus! Quam unice amabamus, quam suaviter vivebamus, quam cupide amplectebamur! Septem equidem filias, easque pulcherrimas, amanti marito uxor amans genui: Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Geometriam, Musicam, Astronemiam. Videbar mihi cunctisque, ut eram, felix et fortunata: quotiescumque in publicum prodibam, magna stipante caterva natarum, laudabant me matronae, reverebantur juvenes virginesque, praedicabant senes. Cumulatam honoribus insolitis, magna gaudia me pertemptabant, adeo ut nihil omnino rebus meis prosperis deesse videretur.

Grammatica, jam aetate prima diligens ac prudens, pervolutabat libros poëtarum, oratorum, historicorum; ex quibus non solum leges recte loquendi atque scribendi inquirebat, sed etiam, si quid obscurius in iis dictum invenerat, hos locos omni ope atque opera enitebatur ut rite explanaret et enarraret, auxilio usa abunde earum disciplinarum quae lucem afferre possent. Rhetorica autem, puella bona dicendi perita, miscens utile dulci, impense operam dabat ut suis orationibus quoslibet audientes, quamvis agrestes essent vel rudes, accommodata apteque doceret, flecteret, delectaret, commoveret. Quacum consentiens atque conspirans, austera gravis Dialectica argumenta locosque indagabat, ne verba sororis tantummodo fucatam speciem pulchritudinis prae se ferrent. Arithmetica et Geometria, geminae laboriosae et fortasse nimis diligentes, investigabant sedulo secreta abstrusa rerum naturae, id sibi persuasum habentes illum Jovem Optimum Maximum omnia terrena in mensura et numero et pondere disposuisse. Jam vero Musica, mea quidem sententia omnes germanas suas facili superans et venustate et elegantia morum, tam perite lyra canebat ut commotos animos eorum qui audiebant miro quodam desiderio verae patriae et caelestis afficeret. Astronomia denique, alta et sublimia usque spectans, leges hujus mundi qui perpetuo se movet suaque perpetua volubilitate Aeternitatem semper stabilem utcumque imitatur, assidue perquirebat, admonens mortales ne spem suam

in rebus variis caducisque reponerent. Quarum omnium opera ad id unum tendebat, ut scintillam illam, quae nobis beneficio deorum data est et a Graecis *logos* vocatur, in flammam quandam benignam accenderent, quae non solum luce sua caliginem a mentibus nostris expelleret, verum etiam calore suo corda nostra refoveret. Disparia quidem singulis munera, sed omnibus animus idem erat, ut quae concordia firma conjunctae essent. Nam idem velle atque idem nolle, ea demum vera amicitia est.

Profecto mater felix et laetabunda majorque quam cui Fortuna nocere posset! Profecto proles jucunda et formosa dignaque quae ab omnibus laudaretur et amaretur! Jam jam sublimi vertice sidera ferire videbar, cum multa acerba me edocuerunt usuque rerum ipsa vidi nefas esse mortales confidere rebus suis. Heu quam celeri versatur Fortuna levis orbe rotae! Quod utinam vidissent parentes mei, qui obcaecati imagine speciosa generi divini, mihi et ipsi insipienti, matrimonium aucupabantur supra condicionem humanam, quamvis recte monentibus Pittaco et Callimacho ut sua quisque sorte contentus vivat. Dulce enim matrimonium mixtum solis inexpertis, id quod et ego, multercula simplex, cum mea ignominia tandem aliquando comperi. Sciunt me Io et Semele et Europa, ut de aliis taceam, verum dicere. Quid inconstantius deo? Ne flamma quidem de stipula brevior est quam iste amoris superiorum aestus fugax, qui solet in fumum et cinerem evanescere. Coniunx meus, hodie tam frigidus et languidus quod ad me quidem attinet, pro dolor! — quantum mutatus est ab illo Mercurio ardenti atque flagranti, qui me amplexibus fovebat mollibus, misereque me unam deperire videbatur et me solam se in delictis habere jurabat! Sed quod mulieri cupidus dicit amarius, in vento et rapida scribere oportet aqua. Quam vellem Thersitae cujusdam uxor esse ac non illius pulchelli asoti et nebulonis mulierosi! Praetereo, ne vestras teneras aures offendam, sexcenta adulteria ejus, totidem injurias meas: maxima enim pueris debetur reverentia. Suffecerit referre illum ex marito mihi deditissimo ac, paene dixi, uxorio, nequissimum corruptorem evasisse sine ulla religione et fide. Quem tristem exitum infitias non eo me jam multo antea animo debuisse praecipere, cum haud ignara essem quae furta fraudulenta veteres poetae meo viro forti adsignavissent, neque id me, quae industrie quidquid librorum Antiquitas veneranda reliquit legerem, praeterire potuit. Sed nimis meis viribus confisa stulte me arbitrabar de harena, quod ajunt, resticulas nectere posse. Nonne legeram eum quo die natus esset ille tantillus puer et tantus peccator, Apollini clam boves Admeti surripuisse? Nonne luce clarius videbam eum non solum ab artificibus et athleticis religiose implorari, verum etiam a mercatoribus et furibus trepide invocari? Quamquam quid interest inter mercatorem et furem? Uterque enim pari modo saccis imprudentium inhians atque insidians neminem nudum transmittit, nisi qui forte turpi rana nudior mendicus praeterit. Ut rem miserandam paucis absolvam: oculos habebam et non videbam.



Sed non satis id poenae visum est superis. Quid quod etiam natae meae tam egregiae spei me fefellerunt? Incipit hic secundus actus tragoediae aerumnarum mearum, isque multo atrocior et luctuosior quam illa perfidia divini mei conjugis. Cupitisne ex me scire quomodo hac quoque spe paulatim elapsa sim? Quamquam animus meminisse horret luctuque refugit, exordiar: praebete igitur aures et animos omnia vobis ordine narraturae! Advenerunt adolescentuli novi, barbatuli insolentes, quibus magnopere rogantibus et dulcem Sirenum cantum canentibus filiae meae, —nollem, et illius!— succubuerunt Facilius arceas lupum voracem ab ovili quam procum avidum a parthenone. Militat omnis amans, et quo facilius arcem desiderii sui expugnet, in eam, et ipsam *arsurientem* (sit venia verbo!), faces ardoris sui immittit; in tam vasto incendio frustra praesidium expeditissimum ponas ut vim opprimat flammaram; arx se tradit positisque armis sua sponte se dedit oppugnantori, non quia resistere nequeat, sed quod se capi gaudet. Quid plura? Nupserunt natae meae viris obscuris unius diei, quorum atria non stemmata, non titulos, non imagines majorum habebant, sed tantummodo arcas nummarias easque tam conspicuas, ut ne caeco quidem apparere non possent. Auri sacra fames, quid non puellaria pectora cogis! Jacebat mea spes, mea diligentia, mea gloria! Virtus post nummos, et nummi hodie, quamvis sordide parti, non olent.

Grammatica mea, qua nulla mearum filiarum multipliciore doctrina ornata erat, insano capta est amore plebeji hominis cujusdam, cui nomen Micrologus. Nomen est omen: erat enim pusilli angustique animi argutator, cui pater nescio quis Hythlodaeus et mater Panomalia, ambo orti, ni fallor, municipio obscuro Anarchia. Hodie Micrologorum domus, vel potius pestis, mirum quantum numerosa est: Sociomorbus, Apodidrastica, Psycholalologia (horribilis dictu!), Paedocratia, Glottomania et alii nepotes neptesque mei quos omnes enumerare longum est. Cui plebeculae nihil prorsus potius est quam ut relaxent illud commune vinculum, quo omnes artes quae ad humanitatem pertinent quasi cognatione quadam inter se continentur, stupide mehercule causantes sic solum scientias progredi posse: reliquiis gaudent epularum, epulas ipsas ventriculi isti imbecilli fastidiunt! Infecti veneno tabido Panomialiae, incredibili quadam voluptate fluctu quem dicunt democratico jactantur, qui hoc habet periculi quod omnes et omnia abripere tendit in quandam aequitatis planitiem, simillimam tristibus illis campis per quos umbrae vagantur Homericae. Usque adeo omnia amant ut nihil ament, omnibusque perniciem foedam quidem, sed quae vulgo imprudenti cerni nequeat, comparent atque moliantur. Quos ego! Sed praestat vobis afferre nonnulla vilitatis eorum exempla, ne dubitetis quin haud temere, verum justa ira exardescens haec verba aspera protulerim. Olim parentes liberos suos fere bene educabant non parcentes ferulae, atque eos magistris severis instituentos tradebant, bene scientes litterarum radices amaras, sed fructus dulces

esse, neminemque nisi per ardua et aspera ad astra pervenire posse. Tum vero neque aliud alio ferri neque mutari ac misceri omnia cerneret, et aequaliter et constanter sese res humanae habebant. Ut jura praecipua ac singularia omnibus honori erant, ita officia quoque et munia a quovis religiose observabantur, nullo audente a sacro rerum ordine cedere, quandoquidem omnes ad unum assensione comprobabant non licere bovi, quod liceat Jovi. Hodie autem usque quaque impii latratores aures vulgi obtundunt, saeviter vociferantes: «Ite ad pueros, nolimusque ad libros!» et: «Indulgeatur omnino tenerae aetati!» et hoc absurdius: «Nihil opus est pueros puellasque desudare in iis rebus quas magistri jejuni, subsidio fulti librorum taedio plenum, iniqui laudatores temporis acti, tractare solent; sunt res et insipidae et quae nimis noceant valetudini puerorum; sunt pueri pueri, pueri puerilia tractant, et tractare debent; quinimmo isti magistri umbratici et lucifugi omnes nervos suos seniles contendunt, ut librum insignem Naturae studiose legant, et tandem incipiant discipulorum ima corda perscrutari, quae multo digniora sunt quae cognoscantur quam isti libri exsanguis!». Conjuraverunt Psycholalologia (lingua ecastor labitur, cum res me cogunt ejus neptis mentionem facere) et Paedocrati omnem ad tollendum pudorem, proterve pervertentes rationem rectae honestaeque vitae, cujus partes subeundae sunt appetitionibus naturae et diris libidinibus. Propter quarum effrenatam dementiam res huc devenit ut jam nihil intersit magister sit an discipulus, adulescentes senum sibi pondus assumant, senes autem ad ludum adulescentium descendant. Olim juvenes operam dabant ut auctores graecos et latinos legerent nec minus intellegerent; hodie autem in quaestiunculis levibus tam diu morantur ut nemo eorum perlegat Ciceronis orationem integram vel cantum divini Vergilii. Sudente blandiloqua Glottomania, discipuli quos oportet immergi undis eloquentiae et ρᾶξις, occultantes insolenter imperitiam, ignaviam, inhumanitatem, perdunt oleum et operam in radicibus, quas dicunt, etymologicis extrahendis et in legibus linguisticis ineptis decantandis. Jam vero apud ipsos magistros plurimum valet obesae naris Apodidastica, cujus fallacibus conclusiunculis usi magis laborant hisce temporibus quomodo id quod ipsi nesciunt alios docere videantur quam ut discipulos labore improbo assuefactos solida erudiant doctrina; quorum docta ignorantia, vel potius insipiens eruditio apud omnes bonos in odio est. Nec minus taeter Sociomorbus, quippe cui Clio veridica et magistra vitae tam infesta sit ut eam inermem compellere conetur impudenter ad mentiendum una cum sentina Micrologorum; qui homines singulos tam pessime odit ut eos demersos velit in foetida quadam colluvie, cui bellum nomen Societatem indit. Itaque e fontibus liquidis earum rerum quae amoenitate sua mentes delectare consueverant et sublimitate sua eorum animos conformare atque excolere valebant, cloacae factae sunt immundae, in quibus solis illis porculis, quos nepotes meos dicere eru-

besco, bene est. Indignatio —neque enim vos fefellit— disertam me fecit; et sane difficile est de iis satiram non scribere.

De reliquis generis brevi faciam, quoniam unum cum noritis, omnes noritis.

Rhetorica illa eloquens et faceta, altera lux oculorum meorum, nupsit institori callido et doloso, quem caeca Fortuna auxerat. Qui natus Demagogo et Plethophila, Colax jure ac merito vocatur. Quidquid veri honesti decori est, valde negligens modoque vanis populi favoribus studens, omnia promiscue venditat ad nutum licentium. Cujus filii Ephemerides, Radiophonicus, Concionator et propediem minimus natu Teleblepon (ut animus meus praesagit eum in cumulum meorum malorum accessurum!) summis viribus et opibus auram captant popularem, mentiendo, adulando, incitando, perturbando, exagitando, denique omnia miscendo. Dum falsa pietate simulant se vulgi miseri rebus angustis mederi velle, re vera suis ventribus student regiamque potestatem affectant eamque multo magis horrendam quam quae ab illis ambitiose impugnatur. Canina facundia et mordacitate quidquid est sancti integrique, dilacerant atque dilaniant.

Dialectica autem aufugit cum viro perditio ac nefario, Pyrrhonem dico, hominem elegantium quidem morum haud imperitum, sed molli effeminataque vitae consuetudine depravatum. Qui impia sophismata praetendens juvenes vehementer instimulat ut scelesto conatu ipsam divam Philosophiam aut strangulent aut jugulent; rursus autem, haud sibi constans, pertinaciter asseverat eam nullam esse nec umquam fuisse nisi illam opinatam, quae tamquam vana cogitatio prognata sit cerebro infirmo hominum veterosorum. Horreo equidem referre quantas strages Pyrrhonicus furor ediderit; at vero risu non possum temperare, cum mecum considero, quam superbam virium fiduciam ostendet iste iners adolescentulus de capsula, qui imprimis pingue otium et amat et terit. Miror plane unde illo die atro impiger non amplius quam semel, nervos et vires sibi comparaverit ad se in fugam proripiendum cum mea Dialectica! Numquam ei vacat, scilicet negotiosa agentis otia, Categorias mei Aristotelis studiosius perlegere, et si forte in animum inducit, id quod rarissimum est, ut dialogum Platonis carptim percurrat, prodit inscitiam tam crassam ut perspicue agnoscamus asino lyram superflue canere.

Nec minus miserae Arithmetica et Geometria abierunt, illa quidem Pluto, haec autem Symphoro consociata. Eximias ingenii dotes prostituunt in nummulis dinumerandis, in fenusculis computandis, in vitae commodis supervacaneis subministrandis, postremo in omnibus rebus humanis, etiam in iis imponderabiles quae vocantur, redigendis ad normam ac regulam pecuniae. Solas eas res spectant quae bene succedant solosque eos admirantur in quorum manibus plumbum aurum fiat. Mille instrumenta vitae hominibus accommodant, sed id cuius causa iis uti debeamus, consulto nos celant, ut similes simus navigantibus in gurgite vasto quibus nullus omnino portus

appareat, finis et praemium omnium laborum. Quarum filiae Aeschrocerdeia et Technocratia, haec Symphoro, illa Pluto nata, totum genus humanum se servitute infami oppressuras jam dudum truculenter minitantur.

Jam vero Musica, lepida mehercule puella dum mecum vivebat, transversa acta est a Tryphero quodam, orto non illa caelesti Venere, quam Plato merito summis laudibus extulit, sed ista vulgari Pandemo. Quid quaeritis? matris lascivae filius lascivior est. Nata mea, quae olim sensus humanos altius erigere solebat in caelestia loca, nunc humili atque sordido opere delectatur. Psallens et saltans elegantius quam necesse est probae, meretricie omnes suas abjicit cogitationes ad excitandas libidines juvenum. Cui strenui in perfidia duo nati opitulantur, Pannychius et Cacophonus, filii nullius, nisi vero huic tristi fabulae sine auctore sparsae credendum est quae vult illum lenone Parisiensi, hunc mangone silvarum incola Africae natum esse.

Postremo Astronomia Authaden nescio quem secum matrimonio conjunxit, hominem petulantem ac pertinacem, si modo homo ille dicendus est ac non potius fungus aut stipes vel truncus. Nata est proles ridiculissima, gregula hebes et ferrea, carens animi et celeritate et subtilitate. Stulti stultis persuadere conantur nulla mente divina hunc mundum conditum atque compositum esse neque ullum deum agere curam rerum humanarum, sed omnia adamantinis, ut dicunt, catenis colligata atque conexas esse, solamque duram Necessitatem rerum omnium naturae praeesse, ne humanis quidem exceptis. Digni qui ipsi vinculis ferreis, ut olim impius Prometheus, summo Caucasi cacumini alligentur, ubi per me licet insano gaudio indulgeant quod sibi adempta sit libertas, quam quidem non meruerunt.

Habetis miseras meas. Quid miramini si vitae taedium me cepit? Similima mihi videor Sibyllae Cumanae, quam Agamemnon ille Petronianus vidisse se affirmat, in ampulla pendentem atque pueris per ludibrium rogitantibus: «Quid vis?» identidem respondentem: «Mori volo!». Sed quid blatero et deliro? Ecce ante oculos meos nova seges! Ecce abundans spes patriae et Philologiae! Enimvero ne mortis meae diro desiderio tenear, impedit ac prohibet avita erga vos pietas mea, quae cum numquam penitus me deficit, tum ineunte Anno Academico ad summum culmen venit. Cum mecum reputo quam sint prompti vestri animi ad ulciscendas meas injurias, magnam dulcemque in spem adducor fore ut aliquando convalescam et revirescam, jucunditatesque vitae denuo arridere mihi incipiunt. Bis puellae anus. Sed ne iterum tam eximia spe destituar, vos omnes enixe operam date; et ut Philologia ad pristinum juvenilemque vigorem quam celerrime revocetur, me maxima observantia velim veneremini, colatis, ametis. Hoc solacio aerumnarum mearum quae fuerunt utor. Vestrum est, o discipuli carissimi, distractas disciplinas quae ex una familia sunt rursus in priscam concordiam reducere. Reconciliate, obsecro vos, mecum filias meas et restaurate felicem aliquando pacem domesticam, quae nefastis consiliis Mercurii

procarumque temerariorum perturbata est! Sed tempus est finem loquendi facere, vobis quidem ut omnem diligentiam adhibentes opus tam praeclarum aggredi possitis, mihi autem ut ex labore dicendi me reficiam. Vos ergo, valetate, studete, plaudite!

Dixi.

*Scripti Sancti Pauli in Brasilia*  
*a d. X Kalendas Januarias Anno Salutis MCMLIV*  
Prof. Dr. JOSEPHUS VAN DEN BESSALAAR

## AD POETAS

Ab Helvetico quodam editore librorum invitatus ad libellum carminum latinorum hujus aetatis componendum omnes appello poetas, ut me adjuvent. Grata sunt carmina cujusvis argumenti, aut veteris aut novi, cujusvis formae, aut metricae aut rhythmicae, si angustum utique modum non egrediuntur, qui singulis partibus in corpusculo circa centum paginas comprehente impositus est.

Laudandus atque mutua omnium opera dignus esse mihi videtur ille redemptor librorum his temporibus promptus ad tale opus privatis sumptibus edendum et pervulgandum. Quomodo humanitatis et cultus occidentalis unitas elegantius nobilitusque tali libello significari possit?

Omnes igitur haec legentes vel audientes poetas atque latinitatis amicos rogo, ut aut propria carmina mittant aut poetas latinos, quorum nomina operaque incepto nostro decori fore putant, nominent illi, qui jam nunc gratias maximas agens subscripsit

JOSEPHUS EBERLE

STUTTGART - Frauenkopf  
Rosengartenstr. 9  
in Germania.

# THYNNORUM PISCATIO

Excellentissimo Viro  
PHILIPPO AMANTHEAE MANNELLIO  
Doctorum Consentinorum Academiae Praesidi

Aurae, vere novo, zephyri cum leniter afflant,  
Atque silet pelagus, ventis nimisque fugatis,  
Oceanum longo fugientes agmine thynni,  
In mare Napetiae veniunt, ubi Bruttia tellus,  
Collibus extensis, portum curvatur in amplum.  
Non locus est toto felicior alter in orbe,  
Seu mare tranquillum, seu caelum lumine puro  
Ridens aspicias, vel dites frugibus agros.  
Saepe hic, e medio dum Phoebus fulget olympo  
Di maris undosi, Glaucus, Proteusque, Palaemon,  
Tritonesque citi, Phorci, Portumnus, et ipse  
Neptunus, placido componunt lumina somno;  
Ac tersis in aquis Nympe Galatea lavatur,  
Pallias atque Ephyre, Nisaeaque, Cymodoceque,  
Laetae diffundunt celeri vada salsa natatu.

Hic labyrintho circumdant aequora gyro,  
Et longo nautae disponunt ordine casses,  
Curva quibus capiant radentes litora thynnos  
Huc autem veniunt immania monstra gregatim,  
Et longe lateque maris spatiantur in undis;  
At cum, mane novo, Siren Colomelis et ore  
Purpureo, glaucis oculis, flavisque capillis,  
Ex undis surgit, magna comitante caterva  
Delphinum, thynni passim, formidine capti  
Ad litus fugiunt et quae sub marmoris undis  
Retia vasta latent, ut ne capiantur ab illis.  
Interea jam fervet opus sub litore, namque  
Pectora nudati juvenes pariterque lacertos  
Nunc laeti ludunt, nunc exercentur in armis:  
Idem omnes simul ardor agit: transfigere pisces.  
Impiger interea cymbas navarchus et arma

Inspicit; ex numero nautas tum seligit ipse  
Aptos ad pugnam; dat cunctis ultima jussa;  
Lintrem conscendit, pelagus percurrere gaudet,  
Ut quot sint videat pisces in carcere clausi.

Sibilus auditur: «Propere consurgite, nautae!  
Festinate omnes; remis, date brachia remis!...»  
(Alto de scopulo, unde omnem metitur aperte  
Ponti planitiem) —clamat speculator—: «Eundum est  
Omnibus extemplo: plenum jam rete scaturit!...».  
Ad cymbas nautae currunt, transtrisque sedentes  
Incumbunt remis: pontus jam lintribus albet!  
Fluctus purpurei resonant lambuntque carinas.  
Innumerae veluti pleno cum lactis ovili  
Muscarum gentes incumbunt vere sereno  
Ac volitant mulctras ingenti murmure circum,  
Sic nautae cingunt thynnorum retia plena;  
Dein artis claudunt aditus compagibus omnes;  
Circuitu stans in medio navarchus ad astra  
Attollit palmas et supplice voce precatur:  
«Audi, qui terras cingis, Neptune, precantem:  
Ne prius hesperidas Phoebus declinet in undas,  
Quam evadat victrix e pugna Bruttia pubes,  
Incolumisque domum redeat: tua templa petemus  
Vespere sub terso, sollempnia dona ferentes,  
Atque tibi, lauro redimitus tempora mysta,  
Anniculum, Numen, vitulum mactabit ad aram».  
Clamosa interea pagi plebs occurrit ad actas,  
Vocibus et manibus stimulat juvenumque virumque  
Bellaces animos. Veluti leo montibus altis  
Degressus fremit et ventos percussus et imbres  
Excutiens cervice thoros et viribus audax  
Se furiis agit at totoque ardentis ab ore  
Scintillae obsistunt, oculis micat acribus ignis,  
Sive inter vitulos, sive inter ovilia gressu  
Impavidus fertur, laniataque corpora tabo:  
Cogit enim malesuada fames venterque furentem  
Ire greges inter propiusque accedere ovile,  
Quod bene pastores ramis texere recisis,  
Non aliter nautae thynnos grassantur et hastas,  
Uncos, tela, plagas, curvos trifidosque tridentes  
Conciunt in eos ut obumbrent aethera circum.

Undique dant saltus, redeuntque sub aequora pisces,  
 Emergunt iterum, nautas aspergine rorant,  
 Et terebrare student mortis retinacula. Frustra!...  
 Ingens est caedes, fusoque cruore rubescunt  
 Spumantes late fluctus. Colomelis ab undis  
 Exurgens iterum Sirenes advocat omnes;  
 Accitae veniunt illae, glomerantur in orbem,  
 Et roseis thynnos digitis attingere gaudent  
 Et festos vitreo celebrant in marmore ludos.

Navita dat reditus signum: de more phaselum  
 Navarchi lauro juvenes et floribus ornant;  
 Thynnorum plenae sulcant vada salsa carinae:  
 Invadunt litus gentes ex urbe ruentes  
 Verbis et nutu nautis gratantur, et omnes  
 Auxilium praebent illis, qui litore praedam  
 Disponant et aquis multis deformia tergant  
 Vulnere thynnorum, quos censet et impiger ipse  
 Navarchus tradit nautis ut, ne vitientur,  
 Igne coquant, oleo fundant, cervice resecta.  
 Omnes deinde petunt fanum de marmore structum,  
 Quod patres quondam Neptuno rite dicarunt,  
 Ut tenerum mactent vitulum Numenque precentur.  
 Mysta molas spargit, setas cervicis in ignem  
 Iniciens, jugulat vitulum: mox viscera nudat;  
 Crura in frusta secant laeto nidore tegentes  
 Tum juvenes et terga parant atque ignibus urunt:  
 Crura vorant flammae, nautae lustralibus extis  
 Vescuntur, reliquum caedunt et cuspide figunt:  
 Accumbunt epulis tandem mensaque fruuntur.  
 Ante fores templi cuncti tum carmina dicunt  
 Et faciles ludunt; luna radiante, puellae  
 Exercent choreas, dextra dum cymbala pulsant...

Tellus et pelagus laeto clamore resultant.

Tropien. a. 1959.

FRANCISCUS ALOISE



# EPISTULARUM ECLOGARII

Jam saepe mihi cogitanti quam scite et opportune viri docti iidemque latinitatis studiosi superiore Conventu Lugduni habito de lingua latina egissent tanquam de ratione ac modo aptissimo necessitudini et commercio inter quarumvis nationum homines, perplacuit non nulla in re quasi specimina et exempla excerpere de quam plurimis epistulis quae nobis, quamvis e diversis orbis terrarum regionibus, a viris tamen uno latinitatis vinculo et amore conjuncti de variis rebus datae erant. Utinam legentibus sint oblectationi.

P. Caelestis OSB. Monachio litteras Moderatori nostro dabat quam jucunde commentarium Epistulae Sacrae Congregationis de lingua latina in Seminariis et Universitatibus provehenda et cantica fabellasque in *Palaestra Adulescentium* accepisset.

Jam pridem chartula tua cursualis mihi allata est, qua PALAESTRAE LATINAE fasciculum primum hujus anni praenuntiasti. Quem libellum mense aprili accepi. Qui mihi duabus de causis perplacuit, primum quod illam epistulam Sacrae Congregationis, quae est studiorum universitatibus et seminariis praeposita moderandis, non solum commemorasti commemoratamque explanasti, sed etiam copiosissime adnotasti, deinde quod PALAESTRAM quae dicitur *Adulescentium*, commodissime cum auxisti tum exornasti. Qua in re illa potissimum cantica laudibus extollenda vi-

dentur, quorum non solum verba ipsa latine reddita afferuntur, sed etiam notae musicae apponuntur. Praeterea consilium fabularum, ut «Hansel et Gretulae» in latinum vertendarum mihi magnopere laudandum videtur esse. Est autem haec prima narratio hujus generis ab eis Germanorum libris, qui pueris proponuntur legendi, deprompta. Tamen vix quisquam nostratum est, quin delectetur, cum audit hanc fabellam etiam a societate radiophonica Anglica susceptam esse quamvis coartatam quin etiam decurtatam.

Josephus Florentinus Marques Leite, clmus. Professor, PALAESTRAE LATINAE Moderatoribus haec praeter alia de Primo Conventu ad latinas et graecas litteras promovendas in magna «aetheris rasorum» urbe Sancti Pauli habito scripsit.

Anno transacto MCMLVIII post idus sextiles, in Brasiliae urbe Sancti Pauli, certe principe in machinis atque omnibus rebus ad vitae utilitatem conficiendis, plenaque ingentium ac novarum aedium (quas septentrionales americani «aetheris rasores» nuncupant), viarum penitus et apprime stratarum, pontium, templorum, «*Primus de Cultu Latinarum et Graecarum Litterarum Congressus*» habitus est (1.º Congresso Brasileiro de Cultura Greco-

*Latina*). Quo in conventu societas de istius modi Studiis fovendis promovendisque nata est, quae nostra lingua «*Unico Nacional de Cultura Greco-Latina*», appellata est. Societas autem haec *Ephemeridem*, cui «*Graeca et Latina*» inscriptio data fuit, edere instituit. Duo quidem parva volumina jam edita hos ante annos fuerant: «*Acentuação Latina*» atque «*Empréstimos Gregos*».

PALAESTRAE LATINAE Moderatores eximio Professori Victorio D'Agostino gratulantur quod commentarios quibus index *Rivista di Studi Classici* cum

commentariis nostris ultro citroque commutandos voluit. En verba clmi. Moderatoris Victorii D'Agostino ex epistula M. Molinae data excerpta:

Pergrata mihi fuerunt verba quibus tu, humanissime Magister, nuper me allocutus es; ex eis enim apparet quanti tu facias commentarios meos, quos octavum annum pro meis viribus edo.

Quare, cum idem nobis propositum sit, ut litterae latinae, quarum cognitio suavissima est, diligentius excolantur a viris doctis, quicumque in toto orbe terrarum versentur, conditionem a te oblatam libentissime accipio et

Ab urbe Nogent-sur-Marne (Seine) egregius Prof. Mauricius Lefaire litteras ad nos dedit, quibus, se mittendum curavisse opus cui index «*Mentor Latin*» nos fecit certiores.

Quod tanta in nos benivolentia, spectatissimi viri, usi estis, ut Commentarios vestros, qui PALAESTRA LATINA inscribuntur, ultro nobis offerretis, neque mediocri laetitia sumus affecti, et, ut optastis, duo exemplaria operis nostri, cui index M. 311 *Mentor Latin*, ad vos mittenda curamus.

Quibus litteris nos in vicem rescripsimus:

Optimam viam ac rationem tradendae linguae latinae eamque pueris amoenissimam esse pro certo habemus, idque quamplurimum gaudemus vos certiores facere nos de vestro opere «*Mentor Latin*» iudicando omnino convenire cum sententia Dni. J. Perret, viri nobilis et bene de rebus paedagogicis latinis meriti, cujus epistulam vos nobis pariter misistis.

Nos etiam methodo latinae, discis phono

Duae tandem epistulae quae legentibus quidem oblectationi erunt, cum viri docti in latinitate provehenda indefessi de novis methodis linguae latinae tradendae colloquentes inducantur.

Joannes H. Oerberg Josepho M. Mir C. M. F. s. d. p.

Maxime delectatus sum et epistula tua humanissima et fasciculis nitidis quos benigne ad me misisti, ex quibus opusculis, sicut jam ex eloquentia quam in Conventu Lugdunensi nobis ostendisti, plane apparet te admirabilem in modum linguam latinam callere. Molestè fero quod mihi non contigerit Lugduni tecum colloqui de rebus nonnullis

pro PALAESTRA LATINA, cujus laudabilem mentionem jam saepe legi dum libros ad nostram disciplinam pertinentes evolvo, commentarios meos, quibus «*Rivista di Studi classici*» nomen est, ipse mittam.

Quod autem hujus litterariae consuetudinis gratia amicitia inter nos contrahatur et quam diutissime servanda videatur vehementer gaudeo.

Nam si quis linguae latinae et humaniorum litterarum studiosissimus ad eas promovendas, immo ad renovandum cultum Latinitatis omni ope nititur, eum quacumque ortus est natione, nobiscum ejusdem amoris vinculo conjunctum habemus.

graphicis imaginibusque quamplurimis praeditae conficiendae impense vacamus; quam nobis quaedam apud Hispanos haud ignobilis linguis exteris tradendis Academia commendavit. Quod opus in duos dispartitur cursus, quorum primus brevi in lucem prodibit.

Nos qui, ut est in epistula tua, linguam latinam et humaniores litteras studiosissime promovere et renovare omni ope, ut tu, nitimur, tecum amore conjunctos semper habeto.

quae utrique nostrum curae sunt, utique de linguae latinae instituendae ratione, et de necessitate simplicitus scribendi et loquendi ut ab iis quoque qui philologi classici non sunt facile intellegamur. Neque enim omnibus placet oratio ornata atque artificiosa neque quodquam est genus dicendi nudum et simplex quod non debeat esse emendatum purumque.

Gratias tibi habeo quod mentionema tque

aestimationem libellorum meorum in commentariis tuis nobilissimis faciendam curare velis, quam ob rem editoribus suasi ut tibi exemplar mittant. Hoc tamen addere necesse est hos libellos apud bibliopolas non venire, sed petendos esse ab Institutis quae appellantur «Naturae Rationis» (Anglice «The Nature Method Institutes») et inventuntur in duodecim Europae urbibus, id est Amstelodami, Bruxellis, Hauniae, Heltingii, Holmiae, Londini, Mediolani, Monachii, Osloae, Parisiis, Turici, Vindobonae. Hoc anno praeter editionem Danicam prodibit editio Germanica, Hollandica, Suevica. Vale, vir doctissime.

Scribebam Hauniae pridie Non. Oct. anno MDCCCCLIX.

J. M. Mir C. M. F. Joanni H. Oerberg, doctissimo latinatis magistro, s. p. d.

Quam ad me misisti epistulam die VI mense octobri datam libenti animo legi. Sed

in primis perjucunda mihi sociisque fuerunt tua opuscula, quibus «secundum naturae rationem» quivis alumnus linguam latinam discere potest quin prius exteras noverit linguas neque singularem magistri operam et doctrinam adhibere debeat.

Rationem vestram nostrae huic aetati maxime aptam habemus, nam si qui illam insequuntur grammaticam et linguam latinam ipsumque Romanorum cultum amplissimo et jucundissimo modo percipient et ediscent.

Quod tanta diligentia, sollertia ac rei tractandae peritia linguam cultumque latinum alumnorum captui facilem jucundumque efficitis vel maxime gaudemus vobisque gratulamur. Vale, humanissime vir.

Scr. a. d. VIII kal. nov. a. MCMLIX.

M. M. ECLOGARIORUM CURATOR

Barbastro.

## SOCIORUM QUAESITIS ET EPISTULIS RESPONSA DANTUR

*Monforte de Lemos.* G. I. — Gratissimae nobis fuerunt et litterae tuae et alumnorum scripta. — In propositionibus consecutivis non semper vera interest temporum consecutio, quod scis, sed illud tempus saepe adhibetur quod «oratio absoluta» postulet

*Mancunium* (in Angliae Universitate). H. H. — Quae misisti jocularia, libenti animo, ut tibi morem gereremus, evulgavimus. *Palaestram Latinam* tibi solacio et gaudio fuisse et nos gaudemus.

*Celsonam.* J. C. — De voce *Flaviobriga* haec habeto: In Ptolemaei scriptis *Flavióbriga* et *Flaviobriga* accentu notantur; apud Plinium *Flaviobricam* scriptum legimus. Scimus tamen haud paucas voces quae in hunc exitum —*briga* desinunt, in hac syllaba acui. In lexico

Forcellini—Perin habes: «*Flaviobrica* v. *Flaviobriga* (*Φλαυϊόβριγα* Ptol.)... hodie *Castro Urdiales*»; eademque referuntur in libro M. Besnès, *Lexique de géographie ancienne*, Paris, 1914. Ampliorem tamen de hac voce deque ejus significatione edidit commentationem J. Gorostiaga (*Helmántica*, 5 (1954, 8): «*Flavióbriga* colonia romana, hoy Forua-Guernica en Vizcaya». Hac igitur voce *Bilbaum* oppidum significari nequit, ut multis argumentis in illa lucubratione videtur comprobari.

*Heusy-V.* (in Belgio) A. G. — Quod adeo nostri memor es, nobis gaudemus. Proposita et vota tua in bonis ingenisque litteris amplissime propagandis plane compleantur optamus.

# EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM

*Josepho M. Mir, viro reverendissimo, J. Ijsewijn, S. P. D.*

In ephemeride «*Societatis Latinae*» Monacensis, 7 (1939), p. 47, J. A. Padberg-Drenkpol, vir doctus necnon poëta latinus Brasilianus, haec de latinis molarum nominibus scripsit:

«(Non probabit) iudex benevolentissimus «ventimolani»... Sane quidem molae aquis actae vel aquariae ex nono fere saeculo vocantur interdum «*aqui mola*» vel etiam «*aquaemola*», quod nihil aliud est nisi «*aquae mola*». Haec autem iam a Vitruvio (X, 5, 2) «*hydraletes*» appellatur, quae vox omnino probanda est. Sed nihil obstat quominus ex Graeco vulgari «*hydromyla*» vel «*hydromylus*» substituantur. Molae vento versatae, cum multo post, circiter saeculo XII usu receptae sint, mirum non est quod nomine vetere carent. Aetate media multa vocabula tentata sunt: «*molendinum ad ventum*» (non autem venti, nec venti mola!) vel «*ventosum, ventorium, venticium, ventile*», etiam «*aurerium*», quae omnia ut barbara sunt reicienda. Ex Graeco autem medio et recenti prorsus commendatur «*anemomyla*» vel potius «*anemomylus*» atque ita nos dicere quis vel quid vetat».

Haec hactenus. Nostrâ verum sententiâ non e graeco fonte voces novae detorquendae sunt ad molas sive aquarum sive ventorum vi motas latine denominandas. Etenim «*aquimolinam*» vocem latinam probatam fuisse satis demonstrat rescriptum Constantini Imperatoris circa annum 325 ad Ablabium, praefectum praetorio Orientis, de rebus Orcistanorum missum. Orcistiti, urbis Phrygiae orientalis prope fines Galatiae, commoda Imperator his verbis describit:

«Ita enim ei situ adque ingenio locus opportunus esse perhibetur ut ex quattuor partibus eo totidem in sese confluant viae, quibus omnibus publicis mansio tamen utilis adque accomoda esse dicatur, aquarum ibi abundantem affluentiam, labacra quoque publica privataque, forum (i)statuis veterum principum ornatum, populum commanentium adeo celebrem ut sedilia quae ibidem sunt facile compleantur, praeterea ex decursibus praeterfluentium aquarum *aquimolarum* numerum copiosum...». (Monumenta Asiae Minoris Antiqua, VII, 305 11. 20-31).

Licet igitur nobis, Constantinianum exemplum secutis, non tantum «*hydraletem*» —quae vox esse videtur technica sermonis architectorum— sed etiam «*aquimolinam*» latine dicere. At quid ergo etiamnunc obstat

quominus alterum molarum genus recentius «ventimolinam» vel etiam «ventimolam» vocemus? Vale!

Scrpsi Antverpiae, die 8 m. decembri a. 1959.

Ploegstraat 10 - ANTWERPEN (in Belgio).

J. IJSEWIJN

Singularem cepi voluptatem, optime vir, cum litterae tuae mihi sunt redditae quibus aptissime monstrasti quo modo voces *molino de viento* - *moulin à vent*, *molino de agua* - *moulin à eau* in latinum essent reddendae.

In thesaurum igitur linguae latinae «aquimolina» et, ut Vitruvio reverentiam habeamus, fortasse «hidralëtes, ae, m.» ad vocem *molino de agua* latine designandam recondi debent, et ad exprimendum *molino de viento* «ventimolinam, ventimolam» inducamus.

Ceterum «ventimolam» in opusculo cui *Nova et Vetera* est index, p. 39.40 olim adhibueram.

Ut adhuc fecisti, clme. vir, linguam litterasque latinas impensius investigare prosequere, quo et animus tuus humanissima replebitur voluptate nosque tuis investigationibus et tua doctrina duces ac recreabis.

Scr. m. decembri, anno 1959, Barbastro.

J. M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

## SOCIORUM QUAESITIS ET EPISTULIS RESPONSA DANTUR

*Artaxonem.* C. A. -- Quod tantum laborem impensamque operam in conformandos alumnos tuos contulisti quodque et illis et tibi gratus fuit novus Cursus CCC linguae latinae addiscendae mirum in modum gaudemus.

*Tropeam.* F. A. - M. P. -- Amicos et poëtas reverenter salutamus. Crescite in milia, clmi. socii, et qui ex adverso sunt romanorum poëtarum familiam —intimamque eorum venam — nondum nostra aetate extinctam esse intellegant...

*Salernum.* R. A. -- Legisti in superiore fasciculo Vota Conventus Lugdunensis. «Canticum fratris solis» laudamus; sed illam tuam perfectam eloquendi rationem desideramus, quam plurimi facimus. Quod si a «biblico» sermone parum recederes et politorem exquirereres, multis, mihi crede, jucundior fieret illa interpretatio latina.

*Celsonam.* M. B. -- Quaeris quodnam intersit discrimen inter «signum» et «vexillum». «Signa» sunt manipuli et conortis propria, in quorum superiore parte manus, animalia, si-

milia exprimebantur; aquila vero erat «signum» totius legionis. «Vexillum» —quod quasi quandam crucem referebat cum panno quadro praeposito— equitatus erat proprium. Ut facitis, litteras latinas amare et excolere pergite.

*Marsanis in Monte (in Gallia).* C. D. -- Nescis quantopere tuis litteris, scriptis, imaginibus a te delineatis sim recreatus. Conatus tui omni laude et commendatione sunt digni. Utinam et alii constantissimi exsurgant viri qui toto animo, vel confirmata jam aetate, linguae latinae discendae dent operam. Macte tu animo! et ex nuper edito Cursu latino CCC maximam percipias utilitatem.

*Highcliffe (in Anglia).* Alumnis — Scriptunculas vestras edendas curavimus, quas in *Palaestra Adolescentium* legetis; idque vobis incitamentum sit. Quam delineavit imagunculam H. Paice doleo quod in lucem dari non queat cum atramentum valide nigrum sit oportet ut imago exprimi possit.

# NOVA ET VETERA

## DACTYLOGRAPHUM

1. Fuit olim tempus cum pauci admodum homines litteras exarare sciebant et probe legere, ac libri, multis curis descripti et haud copiosi sane, fere apud magistros erant aut in bibliothecis recondabantur; viri tantum literati, iique numero pauci, magno argenti pondere privatas domi curabant bibliothecas.

2. Ex quo vero Guttembergius magna sollertia et ingenio artem typographicam perfecit, aditus in litteras facillimus est redditus omnibusque patuit animi cultus. Ex eo enim tempore multiplicari coepti sunt libri cum ex uno archetypo<sup>1</sup> quamplurima excuderentur exempla<sup>2</sup>.

3. At hominum inventiones in dies procedunt ac meliores fiunt: et nostra aetate illa inventa est machina scriptoria<sup>4</sup> qua quisque domi sedens sua ipse manu quasi librum, typis optime conformatis, edere possit.

4. Ac mecum certo gaudeo qui male me ducturum litteras semper putaram, cum tandem domi sedens ita celeriter, eleganter, perspicue scribo ut scripta mea facillime ab omnibus perlegantur omnibusque arte scriptoria praestem calligraphis<sup>3</sup>.

5. Nam nuper cum negotiola mea recte processissent et non nihil sumptui cottidiano pepercissem, dactylographum<sup>4</sup> bene emi, quo usus et

1. ARCHETYPUS [*molde, original*]: «archetypus» adjectivum idem est ac «primitivus» seu 'primo factus' ex vocibus graecis ἀρχή ('principium') et τύπος ('forma, imago'); ex quo nativo sensu «archetypon, archetypum» deductum est, et exemplar (*el original, molde*) significat. Cumque «typus» sit 'figura, imago, forma, effigies rei, ex qua similia multa facile efficere possumus', ideo «archetypon» recte vocari potest illa verborum ac linearum series apte composita et constricta qua typheta paginam efficit, ex eaque atramento et prelo adhibito multa expromit scripti exempla.

2. EXEMPLA [*ejemplar, copia*]: «exempla» dicuntur praesertim de singulis rebus e multitudine deductis; «exemplum» est etiam quod ex alio describitur, ἀπόγραφον; «exemplar» vero

esse videtur quod ad imitandum nobis proponimus: hoc est exemplum quod praeter cetera eminet (= *modelo*); saepe tamen cum exemplo promiscue usurpatur (cfr. FORCELLINIUM).

3. CALLIGRAPHIS: «calligraphus» est qui eleganter litteras conformat (καλλός-γράφω).

4. DACTYLOGRAPHUM [*máquina de escribir - machine à écrire - macchina a scrivere*]: confer quae de hac voce in PALAESTRA L., 26 (1956) 171 n. 6 scripsi. Praeter scriptores ibi commemoratos, C. MARIANO (*Dizionario ital. - lat.*), TEMPINI (*Manuale de conversazione lat. 5 ed.* p. 171) alique «machinam scriptoriam» adhibent. Ceterum quae de exitu vocis («dactylographum - dactylographium») ibidem disputavi conferenda sunt cum illis quae sub voce «stilo-graphum» in PALAESTRA L., 26 (1956) 169

epistulas ad amicos raptim scribo et quae ad negotium et officium meum spectant quam celerrime expedio.

6. Cum propositum meum emendae machinae scriptoriae exsequi vellem, ad dactylographorum domum me contuli, ubi omnibus salute data, ad rei curatorem<sup>5</sup> accessi, qui magna me humanitate excepit et varia machinarum genera<sup>6</sup>, domorum insignia<sup>7</sup> earumque exemplaria<sup>8</sup> monstravit; ex quibus mihi admodum placuit ad res officii<sup>9</sup> perficiendas quae Hispano-Olivetiana inscribitur. Dum autem colloquimur multa ille me monuit mandataque dedit ut machinam scriptoriam tractarem diligenter.

7. Quae vero praecepta menti inhaeserunt, haec sunt praecipua:

—pulvis cottidie peniculo plumeo<sup>10</sup> a machina est excutiendus; ne autem pulvere conspergatur, dactylographum integumento<sup>11</sup> semper est cooperiendum.

habentur, et praesertim cum iis de quibus deinde (*Ibidem*, 27 (1957) 88-90) subtilius disserui. Ita ut eae voces quanquam — ut praestantissimi viri (Bacci, Springhetti, cet.) volunt usuque tenent — per i emolliri quodam modo possunt et scribi: «stilographium, telegraphium, dactylographium» — eaque desinendi ratio quam plurimis comprobatur substantivis latinis —, attamen ut composita ex *graphio* (substantivo) nullatenus haberi possunt, ut superioribus locis probavi; sed haec vocabula sunt composita ex verbo graeco *γράφω*, ut recte monet COROMINAS (*Diccionario crítico etimológico de la leng. castell.*, 1954, s. v. *estilo estilográfico, tele-telegrafo*), cuius tamen forma et scribendi ratio in composito latino adjecta littera *i* aliquatenus mollescit. Scribamus igitur *dactylographum*, quin tamen *dactylographium* rejiciamus.

5. CURATOREM [*empleado*]: dic «curatorem» vel «ministrum».

6. MACHINARUM GENERA [*clases*]: ut sunt machinae scriptoriae, machinae calculatoriae, scriptoriae electricae, cet.

7. DOMORUM INSIGNIA [*marcas*]: efr. de hac voce «insigne» PAL. LAT., 29 (1959) 147; singulae domus effectrices proprium et singulare habent «insigne», quo earum machinae ab aliis similibus domibus differunt ac segregantur.

8. EXEMPLARIA [*modelos*]: cf. hanc vocem supra sub n. 2, et sunt: «machina officii» seu

quae in laboris et officii sede perstat (*máquina de oficina*), aut «manualis» (*portátil*); dic etiam «dactylographum officii; dactylographum manuale, portabile».

9. OFFICII [*oficina*]: de hac voce lege quae in PALAESTRA L., 26 (1956) 167 dixi; cfr.: «In officiorum sedibus usitatur» (*Latinitas*, 6 (1958) in operculis).

10. PENICULO PLUMEO [*plumero*]: ita C. MARIANO (*Dizionario s. v. plumino*) et alii; P. I. GONZALEZ (PAL. LAT. 3 (1933) 72), habet tantum «peniculum», et P. Jové (PAL. LAT., 4 (1934) 72-73) «plumarium»: quae tamen vox hoc sensu neque in lexicis neque in glossariis invenitur; cfr. DUCANGIUM: «plumarium»: «pulvinus plumis fartus»; neque novandus videtur hic novus vocis sensus, quanquam ceterum verbum ad rem significandam non displiceret.

11. INTEGUMENTO [*cubierta*]: «Integumentum» est id quo alia integimus, involvimus.

12. MALLEOLI [*teclas - touches - tasti*]: qua voce multi ilque praestantissimi viri usi sunt: Cognasso (*Il latino*, s. v. *tasto*), Avenarius m. junio, a. 1941 (*Juventus*, Hungarica, 25, 10, 95), Mariano, Bacci (*Lexicon*, s. v.), *Latinitas*, 5 (1957) IV, 6 (1958) I II, III in operculis; eaque vox ex propositis omnium aptissima videtur. — VALLAURI, habet: «regula»; C. MARIANO: «pinna, lingua, malleolus (de organo); *Juventus*, Hungarica (a. 21, fasc. 6, p. 82, 83 et 21, 6, 86): «ligula»; P. I. GON-

—malleoli<sup>12</sup> et pinnulae<sup>13</sup> nichelio<sup>14</sup> obducta aut encausto<sup>15</sup> (seu maltha) picta villosa panno<sup>16</sup> contingantur;

—ut typi<sup>17</sup> semper nitidi in scriptis appareant duriore penicillo, adhibita interdum benzina<sup>18</sup>, detergeantur;

—memoria tene litterarum ordinem in malleorum serie<sup>19</sup> descriptum et ita teneas ut, dum malleolos pulsas, litteras non inspicias;

—si ex dactylographo maximum percipere vis proventum et fructum omnes manuum digitos movere debes eisdemque semper digitis ad eosdem malleolos percutiendos uti;

ZÁLEZ, (PAL. LAT., 2 (1932) 28) et EM. JOVÉ (*Ibid.*, 4 (1934) 72). «tudicula». Sed Joveus in *Candidato Latino* (1 (1928) 21) «teclam» proposuerat adhibendam; quam deinde, uti patet, rejecit, et a. 1932 (PAL. LAT., 3 (1933) 33-34) lucubrationem edidit: «Vocabulum «tecla» undenam ducat originem»: in qua «tudicula» proponit vocis (tecla) notationem (tudicula - tudecula - tudecla - tecla). At COROMINAS (*Diccionario*, s. v. tecla) vocabuli originem fustus ubertiusque investigat, et mirum est illum eruditissimae disputationis ita finem facere —qua cum P. Jové et González quodam modo in novam vocem latinam convenit: «Como nombre de la tecla es posible que se empleara en latín moderno tudicula (derivado mal formado de tudes, -itis, 'martillo'), pues así lo afirman Bluteau y Ant. (aunque nada de esto encuentro, en Du C.), pero está claro que de ahí no puede salir tecla foneticamente». Nota tamen tudicula a Columella (12, 52, 3) licet alio sensu adhiberi.

13. PINNULAE: quanquam omnes dactylographi «tudites» appellari possunt malleoli, tamen sunt nonnulli quibus «pinnulae» nomen aut «globuli» indere possumus. «Malleoli» erunt illi quibus litteras chartae pangimus seu inscribimus; «pinnulae» vero seu «globuli» qui non pulsant sed quasi deprimi tantum videntur, neque iisdem litteras scribimus. — «Globulos» ex rei similitudine, «pinnulas» ex Caesare et praesertim ex Vitruvio dicitur.

14. NICHELIO [*niquel*]: hanc vocem *nickel* H. JACOBELLI (*Alma Roma*, 11 (1924) 26) in controversiam adduxit et *Almam Romam* legentes rogavit ut sententiam ferrent quo modo latine vox reddenda esset; et J. TASSER

(*Ibidem*, 11 (1924) 44) «metallum veteribus ignotum» *nicelum* vocavit, sed ipse JACOBELLI (*Ibid.*, 11 (1924) 64) illud, *nikelium* (*nikelina pecunia, nikelia*) in latinum convertit; quam vocem deinde scriptores adhibuerunt mutata tamen scribendi ratione in *nichelium* (ita C. MARIANO, BACCI): «nichelio obductus, obtectus» (= *niquelado*). Qui de voce disputarunt, ejus originem multimodis sunt interpretati (cfr. *Almam Romam*, 11 (1924) 44; 64; Bacci, Corominas, cet.).

15. ENCAUSTO SEU MALTHA PICTA [*pintado al fuego, esmaltado*]: «encausto pingere» (*dipingere al fuoco*) cfr. BACCI (*Lexicon* s. vv. *bulino* et *smalto*); C. MARIANO, COGNASSO (*Il latino*, s. v. *smaltare*),

16. VILLOSO PANNO [*gamuza*]: quae vox hispanica *gamuza* hic non «rupricapram pyrenaeicam» (*camoscio*) neque ejus pellem significat, sed pannum aliquem villosum seu lanenum ad res detergendas; quanquam omnes hi sensus eadem voce hispanica *gamuza* exprimi possunt.

17. TYPI [*tipos*]: sunt ipsae litterarum formae; vocabulum sumimus ab arte typographica.

18. BENZINA [*bencina*]: de hac voce cfr. quae alibi dixi (PAL. LAT., 29 (1959) 87 n. 36 —in nota «benzina» scribendum erat—).

19. MALLEORUM SERIE [*teclado*]: Vallauri habet: «regularum series»; Luciano: «malleorum series, malleoli» —quae Bacci probat—; C. MARIANO: «pinnarum, linguarum, malleorum ordo vel series» (in organo); nescio an «abacus» ex rei similitudine probari possit; «tastaturam, tastarium» (in organo) nescio quis in *Societate Latina* (4 (1936) 59) innovare voluit, quem fortasse pauci sequentur.



—uno semper tenore et una impulsione vi malleolos pulsa eosque leniter deprime.

8. Cum autem domum me conferrem Marcus amicus mihi obuius factus est, cui cum laetitia gestiens dactylographum me emisse dixissem —ipse vero cum non tantum machinae tractationem nosset sed et machinarum esset reparator—, in singulis describendis et explicandis machinae scriptoriae partibus ducem et magistrum se fore peramice promisit. Domum igitur ingressi ad dactylographum assedimus ejusque descriptionem ita digessit:

9. Haec est machina scriptoria Hispano-Olivettiana<sup>20</sup> —novum quidem exemplar Domus, «Lexicon 80» dicitur, quae uti vides vere cataphracta<sup>21</sup> est—; litterarum typos in extremis vectibus<sup>22</sup> mobilibus caelatos habet; qui vectes, cum hi malleoli comprimuntur, statim excitantur et typi in charta describuntur ope taeniae<sup>23</sup> colore intinctae. Singulis digitorum pulsationibus cylindrus<sup>24</sup> et taenia uno spatio ad sinistram procedunt, cum autem versus conscriptus est, carrulus<sup>25</sup> ad laevam defertur ut alia ducatur linea.

10. Malleolorum vides et pinnularum seriem<sup>(1)</sup>, et in infima parte spatiorum vectem<sup>\*1</sup>; cum autem prima littera grandibus litteris est scribenda pinnula, quae ad sinistram<sup>\*2</sup> et ad dexteram<sup>\*25</sup> est, deprimitur: quod si vox, index, sententia grandibus litteris scribenda sint, alia juxta est stativa «majuscularum» pinnula<sup>\*3</sup>; habes etiam reditionis pressoriolum<sup>\*4</sup> ut, si quid

20. HISPANO-OLIVETTIANA: Domus italica Olivetti propriam conficit machinam scriptoriam eamque varietis formis instruit: sunt enim machinae officii, portabiles, manuales, electricae. In Hispania ab eadem domo vocantur Hispano-Olivetti: quam in latinum convertas «Olivettiana», ut saepius in *Latinitate Vaticana* leges.

21. CATAPHRACTA [*blindada, acorazada*]: per translationem «cataphracta» dicitur, est enim vere ferreis laminis conserta tectaque.

22. VECTIBUS [*palanca*]: «vectim, vecticulum» optime in hac re per translationem dicimus, cfr. *Alma Roma*, 24 (1937) 45.

23. TAENIAE COLORE INTINCTAE [*cinta de color*]: «taeniam» usurpemus —quam alii etiam «lemniscum» (cfr. *Alma R.*, 24 (1937) 45), fas-

ciolam, vittam» dixerunt—; «colore intincta»: si mavis «colorata»; «colorius» vero est varietis coloribus pictus; neque opus videtur ut taeniam «coloriferam, colorificam» faciamus.


24. CYLINDRUS [*rodillo*]: est «lapis aut lignum aut quidvis aliud, oblongum quod sit ac rotundum instar columnae, aequale tamen omnibus partibus...» (cfr. FORCELLINIUM, s. v.); quae vox rei aptissime aptatur.

25. CARRULUS [*carro*]: fortasse ita dictum quia movetur, seu ab una in altam partem machinae decurrit.

\* 3. STATIVA MAJUSCULARUM PINNULA [*tecla fijamayúsculas*]: «stativus» est 'qui stat, fixus, immobilis'. Licet veteres dixerint «grandes, grandiores litteras», nos «majusculae» voce claritatis et brevitatis causa non nunquam

(1) Lectores humanissimi id animadvertant rogamus numeros, quibus stellula praepositur, ad imaginem machinae delineatam et ad verborum indicem, quae in adversa pagina prostant, referri.

Pauca facimus verba de vocibus et locutionibus quae ad ipsius machinae partes subtili ratione designandis spectant ut si quis e legentibus alia proferre et proponere velit vocabula, in proximis fasciculis id faciat libenter.



- \* 1 spatiorum vectis
- \* 2 pinnula grandium litterarum
- \* 3 pinnula majuscularum stativa
- \* 4 reditio[n]is [regressus], pressoriolum
- \* 5 clavicula coloris taeniae
- \* 6 calculatoris decimant retinaculum
- \* 7 manubriolum linearum, m. interspatiorum
- \* 8 caput laevum cylindri
- \* 9 orbiculus conexio[n]is
- \* 10 clavicula stativa interspatiorum
- \* 11 vecticulus solvendo carrulo
- \* 12 vecticulus marginum automatorum
- \* 13 marginum retinacula
- \* 14 spatiorum indiculus
- \* 15 chartae sustentaculum
- \* 16 cylindrus
- \* 17 pressorium prius chartae
- \* 18 vecticulus marginum
- \* 19 caput dextrum cylindri
- \* 20 vectis solvendae chartae
- \* 21 vectis premendae chartae
- \* 22 globulus calculatori decimano auferendo
- \* 23 globulus marginibus auferendis
- \* 24 calculatoris decimani globuli
- \* 25 pinnula dextra majuscularum

- barra de espacios
- tecla de las mayúsculas
- tecla fijamayúsculas
- tecla de retroceso
- indicador del color de la cinta
- fijatopes del tabulador
- palanca espaciadora interlineal
- cabeza izquierda del rodillo
- botón del embrague
- palanca del cambio de interlineación
- palanca para soltar el carro
- palanca de los marginadores automáticos
- marginadores
- indicador de espacios
- apoyo, reptisa del papel
- rodillo
- aprietapapeles delantero
- palanca de los marginadores
- cabeza derecha del rodillo
- palanca sueltapapel
- barra pisapapel
- anulador de los topes del tabulador
- sueltamargen y párrafo
- teclas del tabulador decimal
- tecla derecha de las mayúsculas

perperam scripsisti aut mutare vis, deleas aut corrigas. Non nunquam taenia duplici colore apponitur; ut autem colorem in scribendo seligas hanc coloris claviculam \*<sup>5</sup> convertes. Sunt etiam calculatoris decimani globuli \*<sup>24</sup> ad rationes computandas et calculatoris retinaculum \*<sup>6</sup>. Cum vero linea absoluta est hoc interspatiorum manubriolum \*<sup>7</sup> leniter manu comprimes, quo charta unum spatium supra ascendit et locus ad aliam lineam scribendam datur; juxta est caput laevum cylindri \*<sup>8</sup>, cui dextra parte caput dextrum \*<sup>19</sup> respondet, et conexionis orbiculus \*<sup>9</sup>.

11. Lineae uno spatio vel duobus inter se separantur, quod facile hac stativa clavicula interspatiorum \*<sup>10</sup> assequeris; ut autem lineae eodem semper incipiant et finiant loco seu in uno consistant chartae margine est vecticulus solvendo carrulo \*<sup>11</sup> et ad laevam et ad dexteram sunt marginum automatorum vecticuli \*<sup>12</sup>\*<sup>18</sup> et marginum retinacula \*<sup>13</sup>.

Sunt etiam spatiorum indiculus \*<sup>14</sup> —si spatia computare vis— et chartae sustentaculum \*<sup>15</sup>; cylindrus \*<sup>16</sup> in quo charta implicatur et pressorium prius chartae \*<sup>17</sup>. Invenies tandem vectem solvendae \*<sup>20</sup> aut premendae chartae \*<sup>21</sup>, globulum auferendo calculatori decimano \*<sup>22</sup> et marginibus auferendis \*<sup>23</sup> (seu emarginantem).

12. Quod si nonnulla epistulae tuae vel scripti exempla excudere vis, in promptu est charta transcripticia \*<sup>26</sup>, qua adhibita haud pauca habebis transcusa exempla \*<sup>27</sup>.

13. Praecepta et explicationem machinae scriptoriae, quas a Marco perhumaniter accepi —cuique maximas egi gratias—, memoria tenebo ut facilius in dactylographo tractando in posterum me expediam.

JOS. M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

utl possumus, nam et Cicero «majusculam curam» adhibuit et Plinius «folia majuscula».

\* 4. REDITIONIS PRESSORIOLUM [*tecla de retroceso*]: «reditio» est «reditus, regressus» et adhibetur a Caesare et a Cicerone; «pressoriolum» est «parvum pressorium i. e. instrumentum quo aliquid premitur». Dic etiam «pressoriolum, pinnula regressus, retro agens».

\* 24. CALCULATORIS DECIMANI GLOBULI [*teclas del tabulador decimal*]: «globulum» adhibuit in his malleolis designandis quia ex singulari eorum forma globulos exprimere videntur. «Decimanus» est ad decimum numerum pertinens; Vallauri, Mariano, Bacchi alique ita *decimal* interpretantur: «decimanus, decumanus». — «Calculator» est qui rationes conficit, eaque vox a Martiale usurpatur et rei bene consonat.

\* 7. MANUBRIOLUM INTERSPATIORUM [*palanca espaciadora interlineal*]: «manubriolum» est «parvum manubrium: quo aliquid manu tene-

tur», remque apte exprimere videtur. — Forsitan aliquibus «tollo» placeat. — «Interspatium» significat «intervallum» et est apud Tertullianum, *Orat.*, 25.

\* 9. CONEXIONIS ORBICULUS [*botón del embrague*]: «conexio» est «conjunctio, actus conectendi» et *embrague* est «actus conectendi, communicandi cum axe motorio». — «Orbiculus» est «parvus orbis, circulus, rotula».

26 CHARTA TRANSCRIPTICIA [*papel de calco (de copias)*]: «transcripticius» est «per transcriptionem transcribendo, exscribendo factus».

27. TRANSCUSA EXEMPLA [*ejemplares, copias calçadas, sacadas a calco*]: cum «cudere» sit «pulsare, tundere», «transcusa exempla» erunt illa folia, illae chartae quae uno ictu, dum in dactylographo scribis, tunduntur et ope transcripticiae chartae transcribuntur (de his vocibus cfr. FORNARIUS - AVENARIUS, *Alma Roma*, 24 (1937) 45 et JOVEUS, *Ibidem*, 14 (1926) 49).

# De varia M. T. Ciceronis epistularum inscriptione

Haud vana quidem et inutilis erit *Palaestrae Latinae* lectoribus haec de inscriptionibus, quae in epistulis Ciceronis inveniuntur, commentatio. Enimvero, aperte constabit oratorem ex omni memoria praestantissimum, cum ad homines amicissimos litteras daret, salutationem oppido quam brevissimam, in epistulis vero publice datis, et pleniorum et uberiorum fere semper adhibuisse. Quod quidem ab oculato lectore, cui elegantiores Tullii epistolae in amore sunt, non potest non clare animadverti.

Atque non solum initio, verum etiam in fine epistularum, cum quis eum ad quem scribit salvum esse jubet, discrimen aliquod in orationis forma deprehendas. Sed ne diutius lectorem teneam, dicamus:

1. *De varia salutationis forma in epistulis publice datis.* — In his scriptis, quae maximum in re vel publica vel privata summi oratoris momentum habent tum ex rerum pondere et gravitate de quibus agitur, tum ex virorum praestantia ad quos dantur, plena habetur inscriptio verbis et honoribus additis. Sed exempla promamus oportet: in epistula ad consules, praetores e. q. s. data — id est, *Fam.* X, 8 — haec fere leguntur: «Plancus imperator cos. des. s. d. coss. pr. tr. pl. senatui populo plebique Romanae». Similia habentur in epist. X, 35 et XV, 1 et 2.

In has epistulas publice datas etiam earum magna pars referenda est, quarum exempla interdum Cicero cum epistulis ad Atticum mittit, ut:

*Att.* VIII, 11 A-D; 12 A-D; IX, 6 A; IX, 11 A; 16, 2. X, 8 B; XIV, 13 A et B.

2. *Epistolae ad familiares et amicissimas datae.* — Neminem latet, Tullium in epistulis ad Atticum missis, semper in salutatione presse scripsisse hoc pacto: «Cicero Attico salutem». Una tamen excipitur, nempe III, 20, quam satis urbane sic inscribere voluit: «Cicero s. d. Q. Caecilio Q. F. Pomponiano Attico». Hac una tamen excepta, eam omnino rationem servavit, etiam in epistulis ad eos familiares datis, quibuscum necessitudine, velut cum Quinto fratre et cum Terentia uxore, conjunctus erat, aut quibus amicissime utebatur, ut Ser. Rufo, Caelio, Paeto, Cassio, Bruto.

Sed in epistulis, quas ad hos misit, multae occurrunt in quibus praeter brevem illam familiaremque inscriptionem etiam plenior et gravior, additis

praenominibus honoribusque supra memoratis apparet posito verbo «dicendi»: sic scripsit litteras IX, 15, 16, 21 inscriptas «Cicero Paeto sal.», 17, 20, 22, 23, 25 «Cicero Paeto», sed 18, 19, 24, 26 inscriptas «Cicero Paeto s. d.». Quas Ser. Sulpicio Rufo misit epistulas IV, 1-6 et XIII 17, inscripsit: «M. Cicero s. d. Ser. Sulpicio»; sed XIII, 18-28 b: «Cicero Servio sal.». In epistulis ad Terentiam datis XIV, 1-6 et 10-24 verbum «dicendi» additum est, epistulae 7-9 carent verbo. Omissum verbum etiam est in epistulis ad Tironem XVI, 2, 10, 13, 14, 15, 17, 18, 19, 20, 21 («Cic. f. ad. Tir.»), 22-24, 25 («Cic. f. ad. Tir.»); sed 12 inscripta est: «Tullius S. D. Tironi suo». In 1, 3-9 (excepta ep. 8, quae a Q. fr. ad Tir. data est) et 11, fortasse quia a compluribus missae sunt (a Cic. patre et filio, et a Q. patre et filio, a Terentia et Tullia), verbum «dicendi» additum est.

Monendum est, saepius ab iis, ad quos Cicero plena inscriptione litteras dabat, cum ipsi ad Ciceronem scribebant, brevem illam formam usurpatam esse: ut a Marcello, ad quem Cicero IV, 7-9 litteras misit inscriptas: «M. Cicero s. d. M.». Marcellus ad Ciceronem scripsit, ep. 11, «Marcellus Ciceroni sal. plurimam». Sic legitur VI, 5 et 6: «M. Cicero s. d. A. Caecinae», sed VI, 7: «Caecina Ciceroni plur. sal.». Caelius, cum ad Ciceronem litteras dabat, familiari semper inscriptione: «Caelius Ciceroni sal.» usus est, hic vero in litteris ad illum datis, II, 8-16 et 19, pleniore et graviore, velut II, 9: «M. Cicero proconsul s. d. M. Caelio aedili curuli designato».

Ex his jam exemplis apparet, utramque orationis formam usitatam fuisse et brevioris et uberiores. Ita tamen, ut ibi, ubi brevior usurpata est forma, praenomen plerumque omissum est: neque id tamen certum est: legimus enim in epist. ad Fam. XI, 29: «Cicero Oppio s. d.», et contra XIII, «M. Cicero R. Gallio».

Quae cum ita sint, pro certo id tantum affirmari potest inter homines amicissimos usitatam esse formam ellipticam («Cicero Attico sal.»), in epistulis publice datis plenioris et uberiores («M. Cicero Imp. s. d. Cn. Pompejo Magno Proconsuli»), sed interdum etiam ab amicis hanc uberiores formam usurpatam esse.

Bene notandum est Tullium, cum de sua ipsius re graves ad Caesarem litteras daret, eas inscripsisse, Att. IX, 11 A: «Cicero imp. s. d. Caesar: imp.», et similiter in ea, qua C. Trebatium Caesari commendabat, Fam. VII, 5: «Cicero Caesari imp. s. d.». Familiari vero allocutione est usus in ep. Fam. XIII, 15 et 16: «Cicero Caesari imp. sal.», quibus Precilium et Crassum illi commendabat.

3. De verbis quae Cicero adhibet cum in epistulis vale dicit. — Reliquum est, ut de verbis quae in fine epistularum plerumque Cicero usurpat, strictim agam.

In exemplis ex epistulis collectis, totidem fere inveniuntur locutiones

ellipticae dictionis, totidemque plenae. Unde jam apparet, utramque formam aequae fere usitatam fuisse. Sed si quaeras, num qua re hae locutiones inter se differant, id fortasse aliquo jure affirmare nobis licet, in plena oratione paulo plus inesse videri verae amicitiae et caritatis quam in elliptica: quod intellegitur ex ipsis sententiis, velut *Att.* VI, 4, 3: «Piliae et puellae Caeciliae bellissimae salutem dices». VI, 5, 4: «Valebis igitur et puellae salutem Atticulae dices nostraeque Piliae». Et cetera, ut in VI, 8, 5; XII, 42, 3; XIV, 19, 6 et 21, 4; XVI, 3, 6, ubi ex animo dixit: «Atticam nostram cupio suaviari: ita mihi dulcis salus visa est per te missa ab illa: referes igitur ei plurimam itemque Piliae dicas velim».

Omissi verbi «dicendi» exempla si requiris, haec fere leguntur: *Att.* II, 9, 4: «Terentia tibi salutem»; VI, 3, 10: «Piliae et filiae salutem», et sic brevissime etiam scripsit: XII, 17 «Piliae salutem». Hujusmodi vale dicendi formulae reperiuntur quamplurimae. Paulo uberius scripsit: XII, 3, 2: «Tu Atticam, quaeso, cura, et ei salutem et Piliae, Tulliae quoque verbis, plurimam». Vide etiam XIII, 22, 5; XIII, 49, 1. XIV, 20, 5.

Sed haec verbi dicendi ellipsis ansam mihi praebet ut nonnulla in proximum numerum attexam de istiusmodi ellipsi ciceroniana, quae identidem in ejus epistulis occurrit.

LEO M. SANSEGUNDO, O. S. B.

## B I B L I O G R A P H I A

TOFFANIN, GIUSEPPE — *L'Arcadia*. Saggio Storico, 3 edizione. Nicola Zanichelli Editore, Bologna, 1958.

Velut compendium et summa historiae litterariae de Arcadia opus hoc. Clarus in re historica vir G. Toffanin qui in vulgus jam ediderat librum *Storia dell'Umanesimo*, et quidem simile aliud opus *L'Eredità del Rinascimento in Arcadia*, nunc tandem hanc scriptio-nem *L'Arcadia* tertium edidit. Editio autem haec nobili oratione de Scipione Maffei, duobus ab ejusdem obitu interjectis saeculis, adaucta.

In duodeviginti capita totum opus aptissime, hac vero ratione, divisum apparet: I. *Italia e Francia nel Classicismo del Seicento* (pp. 5-21). II. *Il Padre Bouhours* (pp. 23-32). III. *Il Padre Ettorri* (pp. 33-36). IV. *La rivolta degli Arcadi Minori (Il Marchese Orsi)* (pp. 37-42). V. *La rivolta degli Arcadi Minori (Eustacchio*

*Manfredi)* (pp. 43-48). VI. *Il solo moderno d'Italia: Francesco Montani* (pp. 49-56). VII. *Risposta al Montani (Girolamo Baruffaldi)* (pp. 57-62). VIII. *I grandi Arcadi (Il Gravina)* (pp. 63-72). IX. *I grandi Arcadi (Scipione Maffei)* (pp. 73-84). X. *I grandi Arcadi (L. A. Muratori)* (pp. 85-96). XI. *Girolamo Tagliazucchi (Il genio delle lingue e l'idea dell' ottimo)* (pp. 97-104). XII. *Del latino* (pp. 105-116). XIII. *Due Italiani non sedentari (L'Abate Conti)* (pp. 117-124). XIV. *Due Italiani non sedentari (P. I. Martello)* (pp. 125-136). XV. *La scoperta della letteratura italiana (Giulio Cesare Becelli)* (pp. 137-144). XVI. *La scoperta della letteratura italiana (Il Baretti)* (pp. 145-150). XVII. *Lo sciopero della lingua* (pp. 151-158). XVIII. *Il grande Assente* (pp. 159-164).

Conclusio (pp. 165-178) et appendix (pp. 179-208), de Scipione Maffei oratio, tanquam operis hujus modi fastigium.

PHILOPONUS, C. M. F.


# PER ORBEM

**P. Andreas  
Haberl, S. V. D.**

— Hoc vertente anno P. Andreas Haberl, S. V. D. — quem legentes *Palaestram Latinam* AVENARIUM norunt — commentariorum nostrorum assiduus et illustris scriptor, ab inito Sacerdotio diem anniversarium quadragesimum mense februario celebravit. Et est sane quod omnes vehementer cum illo exultemus et gaudeamus. Ipse

enim Sacerdotium ministerio optime fungens complevit et linguam latinam — «gloriam sacerdotum» — sedulo excolens mirifice decoravit.

In ALMA ROMA evulganda magnopere laboraverat eosque commentarios extinctos aut nemo aut si quis ille deflevit. Quanta vero affectus est laetitia cum hanc *Palaestram Latinam* nascentem placido lumine vidit, quanta cum adultam!... Paucis enim lingua latina tam est cordi quam Avenario; pauci tam vivacem credunt et exemplo suo demonstrant; pauci ita latine



loquuntur et scribunt.

Lectores ne unum fere libellum PALAESTRAE LATINAE legant ubi Avenarius non adsit, sive nova verba cuedens, sive ab aliis proposita ad obrussam exigens, sive aliis proponenda requirens, sive narratiunculam aut historiolum exhibens. His omnibus aliisque de causis, quia Avenarius non modo scriptor est fe-

cundus et in litteris vel maxime versatus, sed quia omnibus amicus est carissimus et Sacerdotum exemplum dignissimum, a. d. VIII idus februarias illum mente et animo pie comitati sumus, cum eoque gratias Deo maximas referente socii fratresque libentibus animis jungemur.

Cum etiam nunc LXXV annos natus satis valeat, sperari licet ab optimo amico et bene merenti de litteris latinis etiam in posterum ejus ingenii haud paucos fructus, si Deus illum inter mortales conservaverit,

quod ex animo optamus et a Domino, qui est totius vitae et salutis Fons, petimus et obsecramus.

**Rvms. P. Arcadius Larraona, C. M. F.** in Collegium Patrum S. R. E. Cardinalium est cooptatus. Maximum hic nuntius attulit gaudium *Palaestrae Latinae* scriptoribus, quod P. Larraona Frater noster carissimus est —Claretianus et Cordis Mariae Filius—, quodque ejus merita praeclarissima publice recognita sunt et sacra Purpura decorata. Emmi. P. A. Larraona opera cum in aliis tum praesertim in iis quae ad statum religiosum spectant, elucet. Cum munere a Secretis Sacrae Congregationis Religiosis praepositae fungeretur mirum quanta quantique momenti in bonum Ecclesiae et Religiosorum perfecit. Sufficiat ejus partes significare in illis Constitutionibus Apostolicis statuendis condendisque quae *Provida Mater, Sponsa Christi, Sedes Sapientiae* inscribuntur.

At Emmo P. Cardinali Larraona praecipua sine dubio debetur et obvenerit laus ex nova studiorum Religiosorum sodalium ordinatione ab eo digesta et suprema auctoritate ab Apostolica Sede roborata et sancita. In qua quidem studiorum ratione praecipuus honoratusque —ut fas est— humanae institutioni tribuitur locus alumnorum mentibus conformandis atque latinarum et graecarum litterarum assiduum altumque studium iterum iterumque praecipitur.

Novo Patri Cardinali bona omnia ex animo peroptamus

**V Colloquium cultorum linguarum ex omnibus gentibus**, Romae habitum est, in quo agitata est quaestio: «lingua latina hodie, lingua latina cras»... E duodecim Europae nationibus centum fere viri convenerunt ab Instituto quod «Methodus naturae» nuncupatur invitati ut expenderent agerentque quo modo lingua latina tradatur, qua vero ratione in posterum necessario sit tradenda.

Post Doctorem DEVOTO, praesidem, orationem habuit cl. Dr. SCHILLING, Argentoratensis (*Strasbourg*), qua commonstravit linguam latinam ex studiorum ordinationibus rationibusque perituram nisi vivax et vicens et «hodierna» reddatur.

Professor vero HANSLIK, Vindobonensis, id maxime commendavit ut magistri in scholis latine loquerentur et latine loquendo docerent linguam latinam, non secus ac magistri recentes linguas tradunt. Hanc unam esse viam et optimam qua salvam linguam latinam in hoc rerum discrimine conservemus.

Dr. PARATORE, Romanus, praecipuam causam qua studia latina conciderint in eo esse ponendam, quod magistri aut imperiti aut imparati sint, asseruit. Quare plane necessarium ducit magistros et professores prius parandos et informandos optima doctrina esse, ut experti multos —quam plurimos—



scriptores latinos noscant et per scriptores linguam qua illi usi sunt. Quam linguam —penitus ex ipsis scriptorum libris perceptam— deinde tradant, inflatam illam et mere «theoricam» grammaticae cognitionem devitantes. Magni facit exercitationem illam qua ex linguis vernaculis selectae orationes in latinum convertuntur. Quam exercitationem omnino necessariam aestimat illi qui penitus hanc linguam cognoscere cupiat.

Eadem fere dixit Sorbonnensis Doctor LEJEUNE, qui et asseruit tum demum discipulum difficultatem auctores latinos legendi superaturum cum latine cogitare didicerit. Quod autem ut fiat nova prorsus ingredienda sunt itinera.

Etiam de litteris latinis apud Europae gentes appellandis quaestio agitata est.

Doctores omnes laetissimi exceperunt nuntium latinum quem Summi Pontificis Joannis XXIII nomine misit Emmus. Cardinalis TARDINI:

«Beatissimus Pater valde gavisus quod Pontificia Gregoriana Studiorum Universitas hospitio excipit eximios ex omnibus gentibus Latinitatis cultores, sub ductu auspicioque *The Nature Method Institutes* Romae conventum agentes; laudat consilia laboresque doctorum virorum qui, insidiis aetatis technicae rationis studiosioris obstantes, perdiscunt tumentur evulgant nobilissimum Romanorum sermo-

nem, priscae luculentissimae sapientiae custodem, perspicuorum Ingeniorum probatum artificem, veri nominis humanitatis alterum, aureum populorum vinculum; ac plurimum cupiens ut eorum nisus optimum pariant fructum, solacia meritaque progignant, hujus rei causa ipsis et ipsorum inceptis Dei Omnipotentis opem suppliciter prece orat».

CARDINALIS TARDINI.»

**Victor in Certamine Poetico Hoeufftiano** —quod singulis annis Amstelodami in Batavia celebratur— discessit anno MDCCCCLVIII cl. vir, Ferdinandus M.<sup>a</sup> BRIGNOLI, natione Italus, cui iterum aureum victorum numisma concreditum est ob poëma cui est index EMERITI. In eo senex quidam musicus effingitur cum veterano Augusti aetatis tibicine colloquens cum eoque de musicis instrumentis et modulatis formis agens. F. M. BRIGNOLI unus est ex illis paucissimis viris qui bis ex hoc certamine victores discesserunt.

In certamine anni MDCCCCLVIII magna laude carmina ornata erant Olyndi PASQUALETTI (*Pellicientis lunae dolus*), F. M. BRIGNOLI (*Homullus*), Joannis AMBROSI (*Iter peractum*), Jacobi PORCELLI (*Castaneas, castaneas tostas*). Quo tamen anno nemo primum tulit praemium. In Certamine enim Hoeufftiano non bonum, ne melius quidem, sed optimum, perfectum, exquisitum tantum praemio maximo donatur.

**Certaminis capitolini X victor**, qui primum tulerit praemium, nemo inventus est. At alterum ex aequo distributum est inter Albertum ALBERTANI (*Syracusae captae*), Aldo BARTALUCCI (*Sermocinatio matutina*), Joachim PETROLI (*Qua ratione quibusque artificiis quaedam mihi nota animalia hominesque sibi victum*

apparent). Laudis mentione digni habiti sunt Dionysius ALTAMURA, Joseph MORABITO, Olyndus PASQUALETTI, J. PETROLI, Felix SANCHEZ VALLEJO, S. J., qui «*Bruxellensis Expositionis triduanam perlustrationem*» descripsit.

**Natalicia Domini laetantes egimus, nostroque gaudio socii et lectores consociati sunt.** — In hac *Palaestrae Latinae* Sede Barbastrensi quamplurima, diebus Domini natalibus annoque ineunte novo amicorum gratulationes accepimus, quibus gratias referimus maximas. Nonnulli et gratulationem miserunt et gratissimo modo miserunt: «latine». Juvat amicorum verba referre: Josephus EBERLE, nobilis poëta, (qui quidem cum uxore hinc inde ad genua Ciceronis —filii carissimi— assident depicti) haec scribit:

«Gratias agimus! Felix faustusque  
proximus annus et vobis sit usque».

J. HOLZER haec habet: «Opto ex animo, ut tibi omnibusque Barbastrensibus amicis festa Natalicia prosperrime procedant Infansque Divinus conferat dona caelestia. Fausta quaeque in annum novum!».

Dr. Alfonsus ISNENGI et D.<sup>a</sup> Melania ISNENGI «moderatoribus *Palaestrae Latinae* gratias agunt et iis quoque annum Domini 1960 bonum faustum felicem fortunatumque jubent esse».

Georgius STOLZ, Neoboracensis (*New York*): «Xti. Salvatoris Natales sollemnes ac felicem totius anni decursum precor tibi, Domine reverendissime, vir humanissima eruditione, latinitatis colentissime. Deus Optimus Maximusque bene fortunet tuam et tuorum commilitonum operam».

Lege BONAMICI ACTENSIS (*Goodwin Beach*) verba suavissima:

«O, Domine Jesu, quo nascente, benevolis Caelestis angeli cecinerunt hominibus In terra pacem, jam nunc hominum in pectora	Odis laborantum, mala perpetientium, Humiles, istam rogamus, pacem, infundito».
--	--

Sunt qui Musarum melos perceperunt et oratione adstricta animi sensa rettulerunt. Dr. Xaverius ECHAVE-SUSTAETA ita dulcissime canit natum nobis Dominum:

«Omnia rident: caelesti munere tellus,  
aspice, fit caelum. Est tibi natus Amor».

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

# BIBLIOGRAPHIA

G SOBEJANO. — *Fl epitheto en la ltrica española*.  
Biblioteca Románica Hispánica, Edit.  
Gredos, Madrid, 1956, p. 502.

Aliud volumen quo «Bibliotheca Romantica Hispánica» merito nobilitatur; quae lucubratio Doctoris G. Sobejano ut thesis doctoralis ad Facultatem Philosophiae et Litterarum in Universitate Matritensi die 30, 4, 1955 allata est.

Liber tum rei novitate tum modo quo G. Sobejano illum exaravit litterarum hispanicarum cultores non potest non delectare. Uno quasi conspectu totum opus lectorum gratia intueamur. Primum in prooemio historia vocis «epitheti» apud Graecos, Romanos, medii aevi grammaticos prostat. Deinde fusiis investigatur quo pacto interpretati sint et explicaverint hanc vocem et grammatici et rhetores ut Aristoteles, Demetrius, Quintilianus, Donatus, Sacerdos, Charisius, Diomedes, S. Isidorus, Beda, et recentius Matthaeus de Vendôme, Godefridus de Vinsaaf, Joannes de Garlande, et in renatu qui dicitur litterarum Belley, Ronsard, Scaligerus, G. Fabricius, G. Sabinus, Revisius Textor, Gómez Hermosilla ceterique primae notae scriptores. In prima parte, quam distingui oportet, G. Sobejano naturam epitheti, ut adjectivi, morphologica, semantica, syntactica, stilistica ratione ac via perscrutatur. Sub stilisticum aspectum quod venit, id satis arridet quod ita subtiliter distinguuntur et distribuuntur epitheta velut verba significanti vi praedita quibus mundi rerumque conspectus sive imaginativus sive affectivus sive imaginativus et affectivus ostenditur: epitheta utpote propria, accidentalita, communia, metaphorica, dinamica, statica, objectiva, subjectiva ceteraque; quorum juxta frequentationem magna illa genera litteraria (poësis nempe lyrica, epica, dramatica) rediguntur et ordinantur.

Ut epitheton quod cujusque proprium est

dilucide exprimit atque significat, ita quoque sectarum seu scholarum litterarum haud incertus videtur index. Unde facile intellegas pondus et auctoritatem alterius partis operis de epitheto apud poëtas lyricos hispanos; G. Sobejano enim praecipua ac summa quasi culmina poëseos lyricae hispanicae percurrit ubi perampi ad campos litterarum patent prospectus: Berceus, Joannes Ruiz, Mena epitheton ut allegoriae inserviens adhibent; apud Garcilasum epitheton plane naturam rei seu proprietatem indicat juxta quoddam quasi exemplar jam inde antea mente depictum et excogitatum; apud divum vatem Herrera eandem indolem habent epitheta, sed abundantiora, accuratiore lexicis selectione adhibita, summaque vi et emphasi praedita; Góngora fere eandem sequitur viam quamvis superioribus poëtis ingenio et novitate poëtica praestet; apud Menéndez Valdés epitheton quandam teneram, voluptariam animi molliam significat; vates rerum insolentium studiosi seu «romantici», ut vulgo dicam, epitheti ope in primis honorem, animi motus, tristia, incerta, mysterii plena vivide expriment; recentiores vates et classicos et romanticos formali verborum selectione longe superant; poëtae qui vulgo «puri» ut Georgius Guillén dicuntur, suggerentibus epithetis scatent, dum poëmata novissimorum vatum «subrealismum» (parcas insolenti voci) sectantium epithetis secum repugnantibus, male cohaerentibus, excedentibus veritatem abundant.

Quod hujusmodi opere studiorum syntacticorum et stilisticorum provinciam ditavit, eo magis sane laudandus Dtor. G. Sobejano quo concinno dicendi genere primus in hanc regionem litterarum hispanicarum adhuc nostra aetate investigatoribus imperiam audacter ac fortunate sese intulit.

M. MOLINA, C. M. F.

SAN AGUSTÍN. — *La Ciudad de Dios. Libros III-V*. Traducción de Lorenzo Riber, de la Real Academia Española; texto revisado por Juan Bastardas, Profesor de la Universidad de Barcelona. Vol. II, Barcelona, Ediciones «Alma Mater, S. A.», 1958.

Novum, idque elaboratum, volumen in eo corpore «Colección hispánica de autores griegos y latinos»: quod librum tertium, quartum, quintum amplectitur, ex laudatissimo opere S. Aurelii Augustini Episcopi, «De Civitate Dei» contra paganos, libri XXII: in omnes jam fere orbis terrarum linguas converso.

Textum vero latinum iterum recognovit, atque scito apparatu critico exornavit, clarissimus vir Joannes Bastardas, in Universitate Barcinonensi Professor, cui quidem in re optulata est nobilis doctrix María C. Catalá, eadem in Universitate adjutrix Cathedrae Philologiae Latinae.

Conversio autem in linguam Hispanicam ab emerito scriptore Laurentio Riber, ex Regali Academia Hispana, exarata fuit. Ex Auctorum igitur assiduo studio et diligenti cura satis patent hujus operis virtutes, quod cultoribus scientiae philosophicae et historicae atque Latinarum litterarum maximo opere commendatum volumus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

*Recherches Augustiniennes. Volume I. Paris, Études Augustiniennes. 8, rue François Ier — VIIIe. 1958.*

Hoc volumen rebus et quaestionibus maxime densum supplementum est ephemeridis «Revue des Études Augustiniennes», quod quidem et alia deinceps volumina subsequuntur, ubi in vulgus luculentiora et ampliora de re Augustiniana edantur scripta.

Hoc primo in volumine non nullae prostant lucubrationes, a clarissimo viro Joanne Pépin suscitatae atque in unum redactae. Quattuordecim admodum nonnullarum Facultatum et nationum Professores ad volumen evulgandum operam sociarunt. Cujus praesentiam et rerum momentum ex indice facile percipies:

Blemenkranz Bernhard: *Augustinus et Judaei - Augustinus et Judaismus* (p. 225). Cadier Jean: *Sanctus Augustinus et «Reforma»* (p. 370). Chaix Ruy Jules: *Anti-historicismus et Theologia historiae* (p. 287). Courcelle Pierre: *Proposita antichristiana a Divo Augustino relata* (p. 149). Mandouze André: *Sanctus Augustinus et religio romana* (p. 187). Mohrmann Christine: *Sanctus Augustinus scriptor* (p. 43). O'Meara John J.: *Augustinus et Neo-platonismus* (p. 91). Pellegrino Michele: *Sanctus Augustinus animarum pastor* (p. 31.). Pépin Jean: *Sanctus Augustinus et allegoriae prototypus* (p. 243). Perler Othmar: *Itinera Sancti Augustini* (p. 5). De Plinval Georges: *Prosperus Aquitaniensis Divi Augustini interpres* (p. 339). Rondet Henri: *Theologia gratiae in commercio epistulari Sancti Augustini* (p. 303). Solignac Aimé: *Doxographiae et manualia in institutione Divi Augustini* (p. 113). Verbeke Gérard: *Augustinus et stoicismus* (p. 67).

PHILOPONUS, C. M. F.

CALLONI CERRETTI GIOVANNA — *Tertulliano: Vita - Opera - Pensiero*. Tip. Editrice Immacolata Concezione. Modena. Prezzo L. 1.000.

Commodus de vita et operibus Tertulliani libellus a praeclara magistra J. Calloni exaratus, cui quidem et alia scita opera «Lucifero Vescovo di Cagliari ed il suo Mortendum esse pro Dei Filio», «Donne e Tempi», «L'Archivista L. A. Muratori Filosofo provvidenziale della storia» debemus.

Et vero vitam, opera, mentem magni illius viri Q. Septimii F. Tertulliani cursim, sed judicio critico et animo benevolo et humano ibi inventies. Lepida lectio animum allucit; notulae ad calcem historicae, criticae, exegeticae, et abundantes et eruditae; bibliographia copiosa et selecta; typographica denique ars accurata.

En tibi operis totius index: *La vita* (pp. 9-27). *Letteratura nuova per un mondo nuovo* (pp. 27-39). *Sincerità dello scrittore e brevi lineamenti del pensiero dottrinale-teologico, negli scritti maggiori* (pp. 39-56). *In contrasto con la Chiesa* (pp. 57-68). *Opere e pensiero dopo il passaggio all'eresia di Montano o circa* (pp. 68-76). *Considerazioni*

varie, in particolare sull'*Apologeticum* (pp. 77-80) *Importanza storica dell'opera di Tertulliano* (pp. 81-82) *Il «sacrilegium»* (*Apol.*, 10) ovvero il «*crimen laesae romanae religionis*» (pp. 83-87). *Arresti e condanne. Persecutori e martire* (pp. 87-95). *I cinque martiri di Thuburdo Minus e la «Passio Perpetuae et Felicitatis»* (pp. 96-98). *Conclusiones* (pp. 98-104). *Bibliographia* (pp. 105-107).

A. MARQUÉS, C. M. F.

Prof. Dr. ALTHEIM FRANZ. — *Roemische Geschichte* I, II, III Walter de Gruyter et CO., vormals G. J. Goeschensche Verlagshandlung - J. Guttentag, Verlagsbuchhandlung - Georg Reimer - Karl J. Truebner. Veit et Comp. Berlin, 1956-1958.

En tres tibi libros, commodissimae quidem molis, de Romanorum historia, qui nobili in illa «Sammlung Goeschens» bibliotheca, numero 19, 677, 679 notantur. Cui tandem addendus liber quartus, in serie 684. Primus liber est de Romanorum historia usque ad pugnam ad Pydnam (168 a. Chr.).

Hoc vero tenore: 1. *Das vorroemische Italien* (pp. 4-19). 2. *Italische und roemische Form* (pp. 20-29). 3. *Das alte Rom* (pp. 30-51). 4. *Patriziat und Plebs* (pp. 52-60). 5. *Sturz und Wiederaufstieg* (pp. 60-76). 6. *Die Einigung Italiens* (pp. 76-84). 7. *Karthago* (pp. 84-101). 8. *Rom und die hellenistische Welt* (102-122). *Register* (pp. 123-124).

Liber autem secundus ad bellum ad Actium perducitur (31 a. Chr.). Hac ratione: 1. *Krise* (pp. 4-37). 2. *Ausgang der Republik* (pp. 37-66). 3. *Gemeindestaat und Reichsstaat* (pp. 66-77). 4. *Caesars Alleinherrschaft* (pp. 77-100). 5. *Consensus universorum* (pp. 101-128). *Register* (p. 129).

Denique liber tertius historiam protrahit usque ad bellum ad Pontem Milvium (312 post Chr.). Hoc quidem cursu: 1. *Ursachen der Groesse Roms* (pp. 4-18). 2. *Folgen der Groesse Roms* (pp. 18-34). 3. *Augustus: Beschraenkung und Ordnung* (pp. 34-55). 4. *Ausbau des Reichs* (pp. 55-79). 5. *Die Adoptivkaiser* (pp. 79-102). 6. *Soldatenkaiser und Tetrarchie* (pp. 102-139). 7. *Literaturnachweis* (pp. 139-141). *Register* (pp. 142-148).

Probato sane iudicio de re Romanorum historica a claro Doctore Prof. F. Altheim disseritur, idque absoluta arte critica; librorum vero lectio commodissima, accuratorum ope indicum, redditur Bibliographia copiosa et selecta. Ars denique graphica, quod solet in bibliotheca «Sammlung Goeschens», optima.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

BARINI CONCETTA. — *Ornatus muliebris. I gioielli e le antiche romane*. Loescher editore. Torino, 1958

En habes librum expoliturum eumque vere criticum de omnibus quae ornatum feminarum romanarum, historia teste, constituebant. Res autem singulae non tantum technica ratione describuntur, sed earum etiam origo, evolutio decursu temporum in historia litterisque populi romani erudite investigantur.

Spectata magistra, C. Barini, et alia opera conscripserat de scriptoribus classicis, ut: «Res gestae divi Augusti ex monumentis Ancyrano Antiocheno Apolloniensi», «Triumphalia», «Introductio et commentarium ad librum XXXI et XXXIII Historiae T. Livii», «Introductio et commentarium ad orationes De domo sua et De haruspicum responso, M. T. Ciceronis», «Introductio et commentarium ad De ira et De tranquillitate animi, L. A. Senecae», cet.

Post eruditissimam de re introductionem (pp. 1-24), liber totus in septem capita dispergitur: I. *Ornamenti del capo* (pp. 25-36). II. *Inaures* (pp. 37-48). III. *Monile* (pp. 49-64). IV. *Armillae* (pp. 65-76). V. *Anulus* (pp. 77-97). VI. *Fibula* (pp. 97-104). VII. *Periscelides* (pp. 105-110). Sequitur conclusio (pp. 111-116), totius libri scita summa, atque index triginta picturarum tabularum quae textum maxime ornant atque explicant.

A. MARQUÉS, C. M. F.

SALVATORE, ANTONIO. — *Studi Prudenziani*. Libreria Scientifica Editrice. Napoli, Corso Umberto I, 38-40. 1958.

Tota Italia, civitas cultus humanitatisque, multis argumentis, haberi debet; eumque humanitatis cultum corpora illa seu scriptorum

classicorum editiones perhibent quae perpetuo apud Italos in vulgus dantur. Novum modo corpus nuntiamus cui nomen «Collana di Studi Latini» a praeclaris viris Victorio de Falco et Armando Salvatore moderatum.

Duas autem in partes dividitur opus: hinc studia de «classicismo» poetae Prudentii, inde solutiones ad criticam textus Prudentiani. Eo vero materiarum cursu: I. *Varietà di atteggiamenti e di aspetti del classicismo prudenziano* (pp. 11-34) II. *Ovidio cristiano* (pp. 35-57). III. *Christianorum Flaccus* (pp. 59-77). IV. *Arcadia Prudenziana* (79-115). V. *Varianti d'autore nel Cathemerinon* (pp. 119-66). VI. *Refluo in Salo* (*Cath.* V. 86) (pp. 167-173). VII. *L'Additamentum di U ad Ham.* 858 (pp. 175-205).

Expolita additur appendix de diminutivis subtiliter significantibus apud Prudentium (pp. 207-222). Atque memoratorum locorum index (pp. 223-240). Apparatus criticus in infima pagina uberrimus; pellucidus et facilis lectu liber; ingeni acuminisque ubilibet copia: paucis, monumentum insigne in longe praeclarissimum poetam christianum priorum aetatum in occidente.

PHILIPONUS, C. M. F.

*Apollonio Rodio - Le Argonautiche*, libro III. Testo, traduzione e commentario a cura di ANTHOS ARDIZZONI. Adriatica Editrice. Bari. Tipografia P. U. G. - Roma 1958.

En tibi hujus operis cursus: Dedicatio (p. VII). *Scriptoris praefatio* (pp. IX-XX). *Manuscripta Argonauticorum* (pp. XXI-XXII) *Argonauticorum editiones* (pp. XXIII-XXIV). *Nota bibliographica* (pp. XXV-XXVII). *Textus libri tertii Argonauticorum una cum itala conversione* (pp. 1-105). *Commentaria* (pp. 107-244). *Vocabulorum index rerumque praecipuarum* (pp. 245-255).

Volumen hoc in illo corpore editur cui nomen «Biblioteca de Letterature Classiche» a clarissimis viris Antonio Taglia et Carolo F. Russo moderata. Alumnis prae primis litterarum Facultatum hic liber ab egregio professore A. Ardizzoni dicatur, de litteris graecis et latinis bene merito, deque Apollonii scriptis meritissimo: anno enim 1930 jam in vulgus dederat praeclarum opus: «Apollonio Rodio, Studio Editoriale Moderno, Catania».

Textus libri tertii Argonauticorum ibi adhibitus valde criticus accuratusque; interpretatio itala facilis lectu ac pellucida; notulae grammaticae, rhetoricae, historicae, geographicae, copiosae atque selectissimae; editio typographica perquam commoda. Admodum commendandus igitur is liber, qui de alexandrina aetate alte sapere in litterarum cultura cupiunt.

PHILOPONUS, C. M. F.

COSERIU EUGENIO. — *La Geografia Lingüística*.

COSERIU EUGENIO. — *Logicismo y Antilogicismo en la Gramática*, 2ª edición.

ZANNIER GUIDO. — *Ensayo paleográfico sobre las abreviaturas latinas de la edad romana*.

Universidad de la República, Facultad de Humanidades y Ciencias. Instituto de Filología. Departamento de Lingüística. Montevideo.

Tria haec expolita opuscula ad nos usque, ab Universitate Rei publicae Uruquarianae, in quibus viri docti et in litteris versati operam studiose admoverunt, delata sunt.

Elucubratio «La geografia lingüística», septem et quinquaginta pagellarum, a claro viro Eugenio Coseriu exarata: qui cursim, ac magno acuminis ingenio, de hujusmodi argumentis disserit: 1. *Geografía y lingüística*. 2. *La «geografía lingüística» como método glotológico*. 3. *La geografia lingüística antes de Gilliéron*. 4. *El «Atlas linguistique de la France» y el desarrollo de la cartografía lingüística hasta la actualidad*. 5. *Importancia de los atlas lingüísticos*. 6. *La obra histórica y teórico-crítica de Gilliéron*. 7. *M. Bartoli y la «lingüística espacial»*. 8. *Conclusión: alcance y límites del método geolingüístico*.

Alterum opusculum, ab eodem scriptore editum, est de «Logicismo atque Antilogicismo» in re grammatica. Argumentum purum putumque, duas tantum et viginti pagellas minutarum litterarum complectitur: interdum haud ita facile, intellectu, ni multum fallor. Plus minus autem res mente attingitur.

Tertius denique fasciculus egregio professori Vidoni Zannier adscribitur: et libelli in scripto prorsus scriptoris propositum ostendit. Index vero hujusmodi: *Introducción*: 1

*Las abreviaturas* (pp. 1-5). 2) *Importancia del estudio de las abreviaturas* (pp. 5-8). *Capítulo único: Clasificación de las abreviaturas*: 1) «*Litterae Singulares*» (pp. 8-13). 2) *Notas Tironianas* (pp. 13-25). 3) «*Notae juris*» (pp. 25-37). 4) «*Nomina Sacra*» (pp. 37-52).

Consequitur *index codicum et auctorum*.

1) *Codices e Vaticanis selecti phototypia expressi* (Paris, 1929). 2) E. A. Lowe: *Codices Latini Antiquiores* (Oxford, 1934 / 1935 / 1938) (pp. 53-57).

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

BECKBY, HERMANN. — *Anthologia graeca*. Buch XII · XVI mit Namen- und Sachverzeichnis und anderen vollständigen Registern. Griechisch Deutsch. Erns Heimeran Verlag in München, 1958. Pg. 745.

Magni hujus operis volumen quartum et ultimum editum esse nuntiare tandem licet. Quae sint hujus editionis virtutes propriae cum volumen primum lectoribus superioribus fasciculis legendum praebui, subtiliter descripsi. De hoc volumine quarto dicam eo libros XII · XVI contineri, in quibus epigrammata de pueris variisque rebus, arithmetica et aenigmatica, variis metris inclusa, et epigrammata ex Anthologia Planudea colliguntur. Volumen completur copiosissimis notulis quibus singula fere collustrantur epigrammata, deinde conspectu quo confertur Anthologia Palatina cum Planudea. Apponitur denique rerum nominumque index locupletissimus et index epigrammatum et poetarum, litterarum ordine compositus. Dignissimum hoc habendum volumen quod tantum opus compleat et absolvat.

PINDAR. — *Odes. Volum II, Olympiques*. Text revisat i traducció de JOAN TRIADÚ. Fundació Bernat Metge. Barcelona, 1959.

Joannes Triadú in lucem ediderat anno 1957 primum Olympicorum Pindari Carminum volumen. Modo alterum in lucem prodidit. Cum de illo primo volumine in *PALÆSTRA LATINA* (XXIX (1959), in operculis) quid sentirem exposuerim, et in altero volumine eadem ratio servetur et via, in textu primige-

nio proponendo et in convertendo, nihil modo addendum puto nisi quod Olympia VI ad XIV optimis praefationibus instructa secundo hoc volumine continentur

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

MARTIN ALONSO. — *Enciclopedia del Idioma*. Diccionario histórico y moderno de la lengua española, etimológico, tecnológico e hispanoamericano. Edic Aguilar, 1958, Madrid.

Magnum vere videtur opus quod lectoribus nunc praebemus. In hoc enim vocabulario sensus et evolutio uniuscujusque vocis hispanicae exponitur a clarissimo lexicographo M. Alonso, qui auctoritate nixus est admodum 1500 scriptorum mediæ aevi, renascentium litterarum, recentioris nostraeque aetatis, sexaginta lexicis praeacademicis, Diccionario quoque quod Auctoritatum ab Hispanis vocatur, duodeviginti editionibus Dictionarii Academici, plus quingentis lexicis et glossariis quibus singillatim de singularibus rebus agitur.

Operis sunt tria volumina, quorum primum A-CH voces complectitur, alterum D M, tertium N-Z. Tria quidem volumina 4258 pagellarum, solide et eleganter ligata, corio in tergo tecta, nitidissimis typis excusa. Judices critici qui de opere iudicium sententiamque protulerunt communi consensu tenent Lexicon novissimum utilissimumque esse. Neminem facile fugiet quanta sit auctoritas et momentum in lexicographica provincia hujus M. Alonso Vocabularii, cui exarando auctor cotidie decem horas per duodecim annos patientissime, patientia quam benedictinam dicimus, operam navaverit.

Tum ergo publicae tum privatae bibliothecae deesse non potest hoc lexicon hispanicum; maximo erit commodo et adjumento quibuslibet scriptoribus, professoribus, juris peritis, iudicibus, tabellionibus, scribis officiorum, interpretibus, oratoribus, scholasticis in Universitatibus studentibus, medicis, architectis, omnibusque viris in qualibet disciplina rerum versatis.

HERMINIUS MOLINA, C. M. F.

*Lexicon mediae et infimae latinitatis Polonorum*, vol. I, fasc. 3-8: *Aquatorie-Brolla*. — Varsoviae, Polska Academia Nauk, 1855-1958, colum. 301-1214.

Academia Scientiarum Polona quae Varsoviae principem sedem habet ad nos comiter misit fasciculos 3-8 Lexici mediae et infimae latinitatis Polonorum; qui fasciculi volumen primum constituunt a clarissimo viro Mariano Plezia recognitum et moderatum. Non nihil tamen animo dolemus haud integrum inde a fasciculo primo, ubi consilium et ratio tanti operis instituitur, ad nos prevenisse. Quam propter, quo melius suppleri possit rei cognitio quam ex ipso primo fasciculo haberemus, commentarios quibus Index «*Revue des Études Latines*», t. VXXI, p. 513-514 manu versemus, ubi clarissimus philologus latinus Dnus. Julius Marouzeau luculentam Lexici notitiam praebet.

Ortus hujus operis exarandi ab anno MDCCCXX est repetendus, cum Societas Academica Internationalis, in conventu Bruxellis habito, Lexicon Du Cange refici constituit. Operam bello interruptam redintegrari licuit auspiciis «*Officinae Lexici medii et infimae latinitatis Polonorum*», Academiae Scientiarum Polonae et cujusdam Consilii operibus edendis cui J. Safarewicz, praestanti auctoritate vir praest.

Dissimilis ratio ac via necessario ineunda erat ab illa Lexici Du Cange, in quo ab anno CCCCXXV ad M tantum scripta latina recognoscuntur, dum in novo Lexico omnes fere textus poloni latine conscripti anno M aetate posteriores continentur. Verba namque et documenta ab anno M usque ad MDVI investigantur, etsi medii saeculi XVI voces quoque colligantur. Omnes textus in Polonia et a Polonis scripti examini subjiciuntur, quorum index in pag. V-XXIV prostat.

Ratio ac via Forcellini ante oculos habetur, cujus Lexicon, cum opus est, Thesaurus Latinitatis Monacensi completur atque locupletatur. Methodus seu ratio hujus operis in eo consistit ut non omnia exempla cujusque vocis suppeditentur, sed praecipuorum exemplorum ope omnes vocabulorum sensus, structuram verborum, locutiones ab usu scripto-

rum classicorum aberrantes accurate colligantur.

Fasciculi 3-8 qui penes nos sunt ab *Aquatorie* usque ad *Brollam* voces continent. Unumquodque vocabulum lingua polona et latina explicatur et illustratur; quo utilissimum omni latinitatis cultori redditur instrumentum. Studium et cura penitus inquirendi et colligendi quamplurimas voces, maxime laudanda; iterum iterumque videre laeto animo licet uberrimam linguae latinae indolem et naturam; quae, cum minime obsoleverit et consenuerit apud Polonos, quamplurima derivata verba peperit ac multis novisque sensibus latinitatem classicorum scriptorum cumulavit, argumentum haud ignobile praebens quantum in hac Europae regione lingua latina vigerit.

Academiae igitur Scientiarum Polonae Varsoviensi gratulamur quod adeo philologiam latinam ditavit opere quod maximo erit adjumento iis in primis qui in latinitatem investigandam impense incumbunt.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

LEGLISE PAUL. — *Une oeuvre de précinéma, l'Entide*. Les Nouvelles Editions Debresse, Paris, 1958.

Qui Vergilium poetam amant, inter se gratulari debent opere quod P. Leglise, vir in cinematographica arte humanarumque litterarum disciplina scite versatus, eisdem offert. Simplex ac modestus index, quem operi auctor adjunxit: «*Essai d'analyse filmique*», ne in speciem quandam rei extemporatis et necopinatae nos inducat. Nihil longe aliud: opus sane scientificum, diutissimae meditationi obnoxium, quamvis novum et audax. Nam Dnus. P. Leglise primus in analysim seu inquisitionem cinematographicam, tanquam instrumentum investigationis aestheticae et criticae textuum litterariorum, primum Aeneidos librum misit.

Hac ratione cinematographice inquirendi et explicandi opera scriptorum, Vergilius dilucide videtur motum seu prospiciendi modum cujusdam narratoris ex more servavisse; qui prospectus persimiles sunt motibus machinae cinematographicae, cum haec profecto



nihil aliud exstet quam magnus quasi oculus arte affabre factus. Quam ob rem auctor Aeneida appellare non dubitat opus «praecinematographicum». Arduum sane munus P. Leglise suscepit in explicanda indole artis «visualis» vergilianae, quam cinematographicam vocat, cum hanc re vera intellegat peculiarem virtutem seu ingenium poëtae ad creandas et fingendas scaenas easque omnibus visus opibus et mediis quam vivissimis pingendas et exprimendas, variis «planis», unde prospectus oculorum pateant scite juxta naturam «plasticam et psychologican» cujusque scaenae distributis.

In capitibus III-XI auctor subtilissimam explicationem seu commentarium primi Aeneidos libri exhibet: Prooemium (v. 1-11); Aeoli antrum (v. 12-87); Cooritur tempestas (v. 88-156); Lybiae litus (v. 157-222); Aeneas Venerem parentem invenit (v. 223-417); Aeneas in urbe Carthagine (v. 418-438), Junonis aedes (v. 439-508); Aeneas Didonem adit (v. 509-636); Reginae convivium (v. 637-756).

Absit —inquit auctor— ut ex hac explicatione cinematographica nimis celeriter et inconsulte in unversum quasi theoria stili Vergilii deducatur; tamen hujusmodi ratio artem vergilianam, quae oculorum acie et vinitur, satis demonstrat. Hoc enim velut tentamine translationis cinematographicae ostenditur rerum aestheticarum comprehensio et expressio vergiliana persimilis esse arti cinematographicae. Hac ratione et via P. Leglise acute significare audet quae fragmenta nondum perfecta et absoluta putaverit Vergilius; hac methodo implicatissima illa quaestio de singulari et propria Vergilii novitate dicendi, quae oculos mentesque criticorum jam dudum excruciavit, nova luce illustratur, quippe qui Vergilius, homericos locos sibi assumens multoties, adeo mirae accommodationi cinematographicae operam dederit ut peritissimus scaenarum cinematographicarum artifex acerrimis quibusque judicibus criticis nostra aetate jure videatur.

Haec ratio —ex animi sententia loquimur— criticis litterariis praebebit novum idque utilissimum in investigandis scriptorum operibus instrumentum. Eo modo P. Leglise Vergilium penitus novum, quasi mirum in modum redi-

vivum, studia et curas superantem hujus saeculi vicesimi in quo artes mechanicæ conspirare videntur ut hominum animi ab omni societate veteris cultus classici facescant.

Dni. P. Leglise opus in deliciis erit et bonarum litterarum cultoribus et criticis et professoribus et iis qui in artem et rem cinematographicam incumbunt. Et utinam in viris litteratis inventiantur qui analysim cinematographicam fortunate applicent reliquis Aeneidos libris et operibus vergilianis.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

E. MARTÍNEZ MÁRQUEZ, S. J. — *Vigencia del Ratio Studiorum de la Compañía de Jesús*. — Colegio de Belén, La Habana, 1957.

En thesis seu argumentum quod auctor ad Facultatem Philosophiae et Litterarum Pontificiae Universitatis Catholicae Xaverianae in urbe Bogota rettulit ut «Rationem Studiorum» Societatis Jesu tamquam optimam viam seu methodum ad rite erudiendos et instituendos alumnos proponeret atque vindicaret.

Thesis dividitur in partes tres, quarum in prima de origine «Rationis Studiorum» agit auctor jam rem inde altius repetens ab illo saeculo XVI perscrutando indolem et condicionem scholasticae institutionis S. Ignatii Loyola; altera pars quasi examen exstat totius «Rationis Studiorum», cujus natura minime «scientifica» videtur — cum eruditio praesertim non intendatur — sed potissimum «practica», cum vere humana animorum institutio petatur; in tertia tandem parte «Ratio Studiorum» Societatis Jesu tamquam clarissimum exemplum luculenter ostenditur quanta gratia et auctoritate valeat nostra quoque aetate haec methodus scholastica, quae in illis regionibus americanis ut in primis in Collegio Habanensi Bethlehem quod Patres S. J. sapienter moderantur, optimos quosque fructus in erudiendis et instituendis juvenibus centum jam annos reportaverit.

Thesim P. Martínez Márquez magnae utilitatis putamus; quam certo utilitatem non aestimare non poterunt Magistri et Professores bonarum litterarum seu Humanitatum Classicarum, quarum in provincia haec «Ra-

tio Studiorum Societatis Jesu perenni vi et virtute tot aliis methodis - quamvis recentioribus - merito longe praestabit.

HERMINIUS MOLINA, C. M. F.

DE ROMILLY JACQUELINE. - *La crainte et l'angoisse dans le théâtre d'Eschyle*. - Les Belles Lettres, Paris, 1858.

Pleniorum et doctorem disquisitionem lectorum cognitioni praebemus, auspiciis Officii Nationalis Investigationis Scientifica in lucem editam et a clarissima Magistra Sorbonnensi J. de Romilly de «timore» exaram. Timor - hic animi motus - praeter ceteros saepissime sub varia specte sollicitudinis, metus, anxietatis, angoris, formidinis, pavoris in operibus Aeschyleis interest.

Primum operis caput - nam in tria dispartitur - dicatur timori ejusque varis generibus psychologicis describendis, quorum Aeschylus indolem atque naturam subtiliter ad extremum dispicit simul atque, quo praevaleto ingento poetico praestat, novissimis eiusque audacissimis utitur verborum translationibus.

In altero capite de timoris significatione diserte agit Dna. J. de Romilly, quae probare contendit theatrum Aeschyleum praecipue religiosum esse, cum hujus modi motus animi, timor nempe, subicitur voluntati deorum qui humanas res provident atque percipiunt.

Caput tertium est brevis summa de timoris utilitate; nam profecto in hominibus timor inest quasi remedium quoddam immoderationis adversus deos (ὕβρις) ejusque illecebrarum tum quo ad sociale tum quo ad privatum hominem spectat.

Pulchras pagellas qui legerit hujus scitae disquisitionis, facile intellet perennem indolem, adeo aeterni nostrae etiam accommodatam, theatri Aeschylei ejusque vim et virtutem psychologicam, nam tragicus poeta graecus omnia fere genera seu formas animi «inconsilii», quod dicimus, obscurasque vires humanae nostrae naturae describit.

H. MOLINA, C. M. F.

PIGHI, G. B. - *I ritmi e i metri della poesia latina*. La Scuola Editrice, Brescia, 1958, 220 p.

Opus quod lectoribus nostris hodie manibus versandum proponimus, ob rationis ac viae novitatem, studiosos metricae latinae recognoscere et retractare cogit modum hujus disciplinae ex instituto et more tradendae et ediscendae.

Eximius Prof. Bononiensis J. B. Pighi rem exorditur a distinctione rhythmici et versificationis: «Rhythmus duntaxat unus, versificationes quamplurimae». Sub hujus formulae luce et novitate, auctor cursum versificationis latinae pro scholis tradere contendit et in primis versificationis poetarum qui frequentius in aula leguntur, quamquam haud ignobilis locus metricae graecae relinquitur, immo et recentiori.

En totius operis conspectus. Pars prima: Elementa seu principia generalia. Pars altera: Rhythmus syllabicus. Praecipui rhythmici colici latini apud Catullum et Horatium. Pars tertia: Rhythmus quantitatis. Modi seu metra poetarum graecorum a Catullo et Horatio usurpata, quibus adduntur praecipui modi aliorum poetarum latinorum. Pars quarta: Verbi et locutionis rhythmus. Ubi de versu saturnio, de oratione soluta quae «commatica», metrica, rhythmica dicitur, nova subtilique ratione agitur. Pars quinta: Brevissima versificationis graecae et latinae historia. Pars sexta: Rhythmici et versus antiquiores musicis notis excepti.

Inter plura et nova quae notatu digna videntur, haec lectoribus significamus: notationem musicam metrorum et rhythmorum qui in operis pagellis inscribuntur, quo facilius varia rhythmorum genera percipiuntur; novitatem quorundam vocum metricarum; novam et a scriptoribus in re classicis ut Havet et Nougaret diversam versus saturnii ejusque structurae metricae explicationem, in qua Prof. Pighi, quantitatem et accentum syllabae insolito more praetermittens, vindicat tantum verbum vel seriem verborum tanquam unitatem rhythmicam saturnii. Sed quod in primis novissimum plane videbitur et qui librum volutaverit, illud erit caput in quo ab auctore sub indice «Rhythmici et versus antiquiores

musicis notis excepti», luculenta recensione crítica et bibliographica praebita, triginta tres descriptiones musicae colliguntur Tritoni, Hofhaimer, Grieg, Chopin, J. Wagner ipsiusque J. B. Picht.

Opus quidem quod magno opere commendamus, praesertim ob miram in explicanda re novitatem et pulchram accuratamque libelli speciem typographicam; quam ob rem studiosi metricae classicae graecae et latinae, hoc opus cum legerint, magnam percipient voluptatem.

H. MOLINA, C. M. F.

FREIRE, ANTONIO, S. J. — *Retroversao Latina*, Livraria Apostolado da Imprensa, Porto, 1958, 235 p.

Quique Conventui «Usui linguae latinae instaurando» superiore aestate Lugduni habito interfuerunt id rarum nostris quidem temporibus non potuerunt non mirari P. Antonium Freire, S. J. in quamplurimis quaestionibus ibi tum agitis, ut tribunum classicae aetatis romanae castigatissimo dicendi genere ciceroniano verba facientem.

Hodie nobis licet lectoribus nostris praebere opus clarissimi Prof. lusitani P. A. Freire; opus plane maturum, fructus nempe diuturni in tradenda lingua latina muneris. Grammatica Latina quondam edita, in lucem quoque postea vulgavit novum volumen ut regulae grammaticae exercerentur atque confirmarentur ope 287 exercitiorum retro versionis de Morphologia, Syntaxi, Prosodiae, Metricae, juxta eundem ordinem quo res in Grammatica Latina distribuuntur. Exercitia quinque annis curriculi classici accommodantur. Has vero «lucubrationes, —auctoris verba profero— visum est conscribere, quae ad discipulorum exercitationes, cum de scripto, tum viva voce etiam faciendas, linguae latinae magistris argumentum suppeditarent».

Utinam auctoris expleantur vota: «Faxit Deus O. M. ut haec *themata*, quae summo cum studio in magistrorum discipulorumque commodum exaranda constitui, ab omnibus ea, quae par est benevolentia excipiantur, prorentur, adhibeantur». Quod ita fore non dubitamus.

H. MOLINA, C. M. F.

LUCREZIO. *De Rerum Natura*. libro III. Introduzione, versione, testo, commento, a cura di Onorato Tescari. Società Editrice Internazionale, Torino, 1958.

Lepidus hic libellus a clarissimo viro Honorato Tescari, latinae linguae Professore in Universitate Romana, exaratus est suisque discipulis benigne anno academico 1946-47 dicatus.

Ampla eaque doctrina plena de re praefatio praestitit (pp. VII-XXXI). Itala inde libri tertii «De Rerum Natura», consequitur translatio, quae commode in partes dividitur et singulae instruuntur argumento (pp. 1-39). Tum latinus T. Lucretii Cari textus, qui ut plurimum idem est, atque textus adhibitus ab eximio auctoribus H. Diels (Berolini, 1923) et A. Ernout (Parisii, 1924). A pagina vero 41 ad paginam 98 evolvitur.

Grammaticae, rhetoricae, historicae, poeticae notulae ad infimam paginam complures maxime commodum et utilem reddunt librum. De conceptu autem Epicureae philosophiae maxime in praefatione, ingenio quidem acris a praeclaro scriptore et magistro disseritur. Quod quidem libellum latinitalis studioso commendatum volumus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

U. E. PAOLI. — *Vita Romana*. La vie quotidienne dans la Rome antique. Edition française revue et augmentée par Jacques Rebertat. Préface de J. Marouzeau, Desclée de Brouwer, 1955, pg. 468.

Genus est hujus libri, ni fallimur, ut pulchro stilo animum delectet, magna eruditione mentem instruat, variis imaginibus ipsos oculos illustret.

In duas praecipuas partes liber dispertitur, quarum una de Urbe —de ejus historia, ab ortu ad occasum—, altera de Romanorum vita, de domo, villa rustica, supellectile, culina, ludis... Quadraginta tabulis et CXII imaginibus ornatur.

Certum ponimus et affirmamus H. Henri cum Paoli latinis litteris maximum afferre hoc

libro emolumentum. Praecipua vero ejus virtus nostra sententia haec est ut, inter tot diversasque notas historicas, topographicas, biographicas, philologicas, lectori non deficiat studium discendi atque ulterius in libro legendo prosequendi. Neque vero hoc causa caret: auctor enim praeter illum, quem diximus, perjucundum stilum, mentem praebet satis acutam atque in rebus humanis bene versatam.

Nam in doctrina tradenda non tantum eminet claritate, eruditione rerumque scientia, sed in singulis explicandis suum effundit animum suamque in dicendo urbanitatem.

Verum psychologum et quasi philosophum H. Paoli appeilem. Quod quo facilius perspiciamus, haec sint exemplo, ex capite cui Index «Acetum italicum» decerpta, verba diligenter perpendamus: «Le sel italique est l'expression naturelle de l'esprit d'un peuple qui, ayant vécu sous les armes, n'oublie pas que la parole aussi est une arme... Chaque peuple se révèle lui-même dans sa manière de plaisanter: l'esprit français, un étranger peut le saisir, mais non l'assimiler... L'esprit de Rome se même est romain».

ALOISIUS BRASERO, C. M. F.

STAUDINGER, JOSEF. — *La Vida Eterna, Misterio del alma*. Versión española por LUIS ALBIZU, O. F. M. 363 págs. 14'4 x 22'2 cm. Rústica, 120 ptas. Tela, 150 Editorial Herder. Barcelona, 1959.

Immortalitatis certe desiderium tanquam menti hominum innatum est. Immo paganarum ipsae religiones, cum implicatarum earum superstitionum impedimentis, necessitatem credendi in aliquid sempiternum docent, neque reductioni totius humani compositi ad nihilum adquiescere valent.

Vita igitur aeterna hominis optata meta; sed ad eam contingendam felici exitu nobis quidem innitendum principiis, veritatis immutabilibus revelatae. Hinc illae prementes interrogationes: Quidnam est homo? Undenam venit? Quonam vadit? Responsio eisdem quaestionibus id est, quod rationem atque viam et cogitandi et operandi in homine constituit. Fides autem id altum «mundum», qui est ultra res sensibiles, innixa radicitus

cogitatu ultroneo populorum, quam et testatus est saepe saepius in Evangelio Jesus Christus.

Jam vero, clarus vir J. Staudinger hoc nobis opus offert, quod conceptuum altitudine licet abundet, haud scilicet tractatus est scientiae metaphysicae, neque in auctoris mente propositum fuit ultramundanas excutiendi tenebras, ope studiorum scientiae religionum comparatarum. Eidem potius propositum est id explicandi lectori, quod praecipuum atque primarium negotium capit in ea quaestione, quam sapientes vocant *DAS JENSEIT* quod ultra est (*el más allá*): id est, ostendendi finem ubi humana terminatur existentia.

En tibi libri Index: I. *El hecho del más allá* (pp. 9-63). II. *La vida terrena proyectada a la luz del más allá* (pp. 64-104). III. *Entre dos mundos* (105-156). IV. *La vida eterna* (pp. 157-220). V. *La muerte eterna* (pp. 221-287) VI. *El misterio de la predestinación* (pp. 289-363).

FELICIANO SPERANZA. — *Per la tradizione testuale e scolastica dell'Achilleide di Stazio*. Estratto dagli «Atti» dell'Accademia Pontaniana, Nuova Serie - Volume VIII.

FELICIANO SPERANZA. — *Note sulla Cronologia di P. Papinio Stazio*. Estratto da Annali della Facoltà di Lettere e Filosofia de Napoli, vol. VII - '957. Istituto Editoriale del Mezzogiorno. Napoli.

En tibi duae lucubrationes, a praeclaro viro Feliciano Speranza, ordinario in scholis mediis Professore, exaratae. Hinc autem criticae notae non nullae, de «textuali et scholastica traditione» illius poematis Achilleidis, a latino scriptore P. Papinio Statio, de Achillis vita libri duo, ad nos usque transmissi.

Inde altae notulae criticae de Chronologia P. Papini Statii. Utroque opusculo, quanquam de subtilibus auctor agit quaestionibus, latinitatis tamen studiosis sollertioribus haud parvam, ni fallor, utilitatem afferet. Et parva et magna magni facienda si illi, qui in cuiusvis disciplinae provinciae facem hominibus in animo praeferre molitur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

BORNEMANN. — *Lateinische Sprachlehre*, vierte Auflage. 1959.

BORNEMANN. — *Lateinisches Unterrichtswerk*. Ausgabe B, Lese- und Übungsbuch und kurzgefasste lateinische Sprachlehre. 1957.

BORNEMANN. — *Lateinisches Unterrichtswerk*. Ausgabe C fuer Latein als zweite Fremdsprache, Teil I, fuer das erste Unterrichtsjahr. Hirschgraben-Verlag, Frankfurt am Main. 1959.

Tria haec volumina eminent in disciplina et arte latinae linguae tradendae et addiscendae, ab egregio Professore Doctore Eduardo Bornemann, bono quidem omne, exarata. In primis, Grammatica Latina haec amplior quartum nunc in lucem editur, in qua apte digerenda maximam curam et diligentiam auctor adhibuit.

Duplicem in partem est divisa: Morphologiam (pp. 1-88), a praeclaro Professore Doctore F. Afami concinnatam; et Syntaxim (pp. 89-254) a Doctore Bornemann. Materiae dispositio atque tractationis ratio ubique locuples.

Syntaxeos autem cursus magni apud nostrates aestimandus, quorum Grammaticae Latinae aliquantulum adhuc obsoletae videantur. Haec libri divisio: A. *Die Satzteile* (pp. 89-177); B. *Der einfache Satz* (pp. 177-198); C. *Die Satzgruppe* (pp. 199-254): praecepta ad scientiae rationem investigantur et aptissima doctrinae via traduntur.

Illud vero «Register sur Syntax» (pp. 255-275) mihi quidem synthesis optima, summa aptissima videtur. Absolvitur opus verborum appendice et syntaxeos (pp. 277-291).

Deinde librum habes, eumque amplissimum, legendis scriptoribus et adhibendae latinae linguae. Nova hic et vetera leptide in unum aptantur. Hoc vero in volumine et clarissimus litterarum latinarum Professor Doctor K. E. Petzold sociam operam collocavit. Magno opere summa Latinae Grammaticae huic libro adjuncta aestimanda

Denique tertium volumen ambitum latinitatis amplificiat et exornat, cui et altus liber a Doctore Bornemann promittitur in vulgus edendus. En summa tibi operis: Praefatio (pp.

3-5). *Conspectus de re lectioneque grammatica* (pp. 6-10). *Lectiois fragmenta* (pp. 11-50). *Exercitationes et themata* (pp. 51-72). *De lexicologia legendorum fragmentorum* (pp. 73-111). *Vocabularium alphabeticum* (pp. 112-116). *Index propriorum nominum* (p. 117). *De conversionis adminiculis* (pp. 118-119). Tandem explicatio brevis, sed scita, de tabulis pictis toto opere adhibitis. Maxime lectoribus PALAESTRAE LATINAE hunc cursum Linguae Latinae commendamus, a bene merenti Latinitatis magistro concinnatum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

M. TRAVAL Y ROSET, S. J. — *Prodigios Eucarísticos*. Nueva edición ampliada con devocionario. Edit. Tip. Cat. Casals, Barcelona, 1958, p. 207.

Hic pulcher libellus, perelegantē arte typographica ab Editoribus domus Casals in lucem denuo vulgatus eo tendit ut magis magisque ad fidem Jesu Christi in sacratissima Eucharistia velati animos accendat fidelium qui Cordis Divini majorem habebunt fiduciam ferventioresque amore prosequuntur, haec prodigia cum legerint.

Libellus is in primis emolumento erit qui ad Sacratissimam Eucharistiam primum suscipiendam accedunt; qui quidem, quamvis rite magna doctrinae copia animum paratum intentumque habeant, tamen, eo quod tenera adhuc fides in eis inventatur, ne vi contrariorum ventorum omnino exstinguatur, necesse est eam validiorem effici et confirmari; quem ad finem magno opere proderit haec «Prodigiorum Eucharisticorum» series ac summa; quam si pueri pie legerint, firmiorem Sanctissimae Eucharistiae sacramento fidem praebunt. Sed non tantum pueris verum etiam omnibus sacerdotibus qui curam animarum habentes piis consociationibus eucharisticis praesint vel quoquo modo sacris contionibus christifideles ad Eucharistiae devotionem adhortentur, erit perutilis hic libellus «Prodigiorum Eucharisticorum»; qui quoque finitur brevi praecipuarum precum collectione ad christianam fidelium pietatem fovendam.

M. MOLINA, C. M. F.

M. VALSA. — *Marcus Pacuvius, poète tragique.*  
— Société d'Éditions «Les Belles Lettres».  
Paris, 95, Boulevard Raspail.

Haud facile credas de antiquo quodam scriptore —cujus omnia fere opera perire, cujus fragmenta tantum remanent eaque brevissima— iudicium ferre et scribere. Quod sane aggressus est non sine arte et studio M. Valsa in hoc libello (119 paginis constat) de Pacuvio poeta tragico.

In primis de ejus vitae disserit brevissime, cum et brevissimae sint notitiae pacuvianae. Deinde singula opera perpendit, argumentum proponendo vel suspicando fontibus litterariis fultus fragmentaque omnia fere adhibendo. Etiam incognitarum tragoediarum fragmenta exquirat, quae namque tragoediae aliis auctoribus adscriptae, Pacuvio nostro sint adscribendae. Deinde interrogat num Pacuvius alta opera, comoedias praesertim vel saturas scripserit.

Argumento optime confert quid veteres —Cicero, Quintilianus, Tacitus, Martialis cet.— de Pacuvio senserint. Vitia et virtutes ipsi a veteribus existimatoribus attributa colliguntur in pag. 83-85. Virtutes vitia longe praestant.

Deinde investigat quinam fuerint Pacuviani fontes potiores, quos Euripidem fuisse et Sophoclem asserit et evincit. Optima fortasse maximeque totius operis momenti sit quaestio de arte Pacuvii, prout e fragmentis erui licet. Ibi afferuntur omnes modi quibus Pacuvius usus naturae inspector attentus, qui et pictor fuit et poeta mentem suam aperuit. Dolendum quod de tanto opere Pacuviano 95% tantum ad nos pervenerit.

Hoc opusculum M. Valsae de Pacuvio Poeta maxime faciendum esse aestimamus

TUCIDIDES. — *Historia de la Guerra del Peloponnes* Vol. IV. Text revisat i traducció de Jaume BERENGUER AMENÓS. Fundació Bernat Metge. Barcelona, 1958.

Lectoribus praebemus IV hoc Thucydidis volumen cum textu primigenio et conversione in linguam catalaunicam a cl. v. J. Berenguer editum. Quod volumem, IV librum Thucydidis Historiarum comprehendit, eodem modo ac ratione quo superiora prodierant volumina.

SOPHOCLES. — *Tragédies.* Vol. II. *Atax. Edip. Ret.*  
Text revisat i traducció de Carles RIBA  
Fundació Bernat Metge. Barcelona, 1959.

Anno 1951 Carolus Riba primum Sophoclis volumen tragoediarum foras emiserat. Superiore autem anno hoc alterum volumen edidit in quo legas *Antem* et *Oedipum Tyrannum* textu graeco et catalaunico. Hoc volumen, cum post multa eruditorum scriptorum opera sit editum, aliquanto priori volumini —ipso C. Riba teste— praestat: nemo enim est qui ignoret quantum Sophocles superioribus annis auctoribus recentioribus sit investigatus et declaratus.

Magni ponderis sunt in hac editione proemia seu introductiones a C. Riba scripta, qui summus est poeta et summus litterarum graecarum humanarumque et cultor et existimator et cognitor. Seu potius fuit, nam clarissimus vir e vita excessit eodem anno quo hoc volumen foras emiserat. Dolendum erit magnopere si opus imperfectum reliquerit. Nemo enim illo utriusque linguae cognitor, nemo ad tantum opus perficiendum aptior.

W. BRANDENSTEIN. *Griechische Sprachwissenschaft.* II Wortbildung und Formenlehre. Sammlung Göschen, Band 118/118 a. Walter de Gruyter & Co., Berlin, 1959.

Jam pridem libelli hujus volumen primum editum esse in PALAESTRA LATINA nuntiatum est ejusque descriptae sunt virtutes. In hoc altero volumine verborum conformatio et formae traduntur seu morphologia. Opusculum non dicatur illis alumnis qui primum linguam graecam discendam aggressi sunt, sed Universitatum alumnis. Hac de causa omnia et singula «phaenomena» phonetica ad scientiae rationem explicantur, perpetuaeque ad indo-europaeas linguas relatione. Minime tamen hic quaeras magnum notarum bibliographicarum vel eruditarum apparatus. Auctor enim opus manuale alumnis non doctoribus destinavit. Proinde ubique eruditionem suam ostendit optimo illo modo ac ratione quae magistrum decet: clare et simplicissime et perspicue singula proponendo. Veri haud simile videtur tam plura brevissimo 192 pagellarum spatio evolvere. Quod sane ita factum est. Quare hoc opusculum summae erit et alumnis et multis magistris utilitati.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.



## SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARIUM

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA


Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetis; in Gallia: 2'50 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania: 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

ANN. VI — (FASC. I) — N. 21

M. MARTIO

A. MCMLX

### LECTI IN TRICLINIO SUNT PARATI



Triclinium intremus — hortatur nos Flavius — quod amplum videtis esse conclave.

Tres hi lecti tricliniarii vocantur et ad latera mensae quadratae apponuntur; unum latus liberum est — ut videtis — quo datur locus mensae ministrantibus.

Ad laevam intransitibus est lectus *summus*, ad dextram *imus*, *medius* in medio: tres quoque sunt loci in unoquoque lecto: *summus*, *medius*, *imus*. *Lectus medius* — qui adversus nos est — maximo in honore habetur et in eo *locus imus* «consularis» vocatur: quem qui inter convivas dignitate excellit, occupat; in aliis lectis locus *summus* praestantior esse solet qui ad caput lecti — ad fulcrum — est. Lecti *toris* seu *culcitis* instruuntur, quibus *pulvini* et *stragula* singulis convivis imponuntur.

In lectis tricliniariis neque sedemus neque prorsus jacemus, sed ita corpus conformamus ut pars corporis inferior jaceat, superior vero supra pulvinum cubito sinistro innixa aliquantum sublevetur et dextra ad capiendum cibum sit libera.

Nunc autem — narrat Flavius — in mores nostros inductum est *stibadium* seu *sigma* — lectus lunatus formam medii circuli habens — quo quidem haud pauci

apponere cenam	<i>presentar la comida</i>
dare cenam Aulo	<i>ofrecer una comida a Aulo</i>
triclinium sternere	<i>preparar el comedor</i>
accumbere	<i>recostarse, reclinarse</i>
accubare	<i>estar reclinado, recostado</i>
praebere cenam tribus ferculis	<i>presentar una comida con tres platos</i>

Cum satur est venter, cantat quicumque libenter  
*bien canta Marta, después de harta*

Cum satur est feles, se totum lambere gaudet  
*bien se lame el gato después de harto*

utuntur pro triclinio seu tribus lectis ex quo mensae rotundae magni in Urbe aestimantur. Ordo vero in *stibadio* accumbendi alius est atque in triclinio; nam honoratior locus in cornu dextro est, secundus in cornu sinistro primus, deinde proximus huic sequuntur tertius, quartus, ceteri. Quorum discumbentium numerus multiplex, secus atque in triclinio, esse solet.

## LATRONES NOCTU DOMUM IRRUMPUNT

Vobis adolescentibus, quibuscum eadem mihi sermonis latini studia conjungunt, veram historiunculam narro.

Cum bello proximo tota fere Europa arderet, in horreo vini pyrobolis semiruto mater quaedam jacebat vili tegumento contacta. Una cum tot aliis miseris, relictā domo, per nives et frigus hibernum in Germaniam occidentem profuga ad novam patriam quaerendam vel aegrotā emigraverat. Nemo moribundae adest nisi Vilfridus filius duodecim annorum. «Ora mecum», inquit aegre respirans, «ut Deus mihi iter extremum, quod sum ingressura, facilius placidiusque reddat». Vilfridus suppresso dolore orat cum carissima parente. Quae subito eum intuita manuque apprehensa voce interclusa leniter dicit: «Fili, cras orbis eris. Cum mortua fuero, claude mihi oculos, ora pro me et confuge ad materteram, quae tui curam habebit». Jam inter singultus et gemitus: «Nate», inquit, «mane pius et probus, cave, cave seductores». Illacrimans Vilfridus: «Manebo, manebo, mater, pius et probus, cavebo seductores». Tum moritura: «Deus tibi bene dicat: eaque cum dixisset, dum frigentes capiti nati manus imponit, placidissime exspiravit.

Quid faciat orbis? Quis matrem prorsus incognitam sepeliat? Sed grato fortunae beneficio accidit, ut homines misericordes inveniret, qui matrem terrae inhospitali mandarent. Continuo orbis viam ingressus in urbem secessit, ubi matertera habitaret. Sciscitabatur e muliere forte praetereunte, ubi matertera Joanna incoheret. Responsum accepit eam ruinis sepultam. Jam totus consternatus Vilfridus: «Nescio», inquit, «quo confugiam, quoniam non habeo hic

sanguine junctos». Commota mulier puerum orbem, frigentem et fame fere enectum domum invitat ac materna fovet cura. Sed Vilfridus eam vix habere, unde prolem suam alat animadvertens, gratias agens: «Inveniam certe rusticum, apud quem maneam et cui operer. Nolo tibi amplius oneri esse».

Cum se viae dedisset, incidit forte in adolescentem natu majorem, quem in fuga paulo ante cognorat. Qui subsistens quaerit: «Quo tendis, puer?». — «Quaero, cui operam locem» respondet Vilfridus. At ille: «Melius quid novi». Admiratus puer sciscitatur, quidnam hoc melius intellegat. — Quid ad te? infert. Prosequitur igitur Vilfridus iter, frustra januas multas pulsat... Cadebant nives, aura frigebat. «Mater carissima», orabat, «mitte quaeso, qui me domi excipiat. Ecce nox incubat nec mihi est refugium». Jamque auxilii spe fretus proximam pulsat portam. Egressus colonus et puerum frigentem intuitus perhumaniter: «Quid, puer, quaeris nocte instante?» Narrat sincere Vilfridus, quid mali sibi acciderit. Tum colonus vere christianus: «Intra», inquit, «mane domi meae et sis mihi loco filii, quem bellum absumpsit». Mansit igitur Vilfridus, colonum in horreo et stabulo adjuvit. Quodam die vidit inter opera adolescentem supra memoratum stantem ante portam et quaerentem: «Estne rustica intus?». «In culina», respondet Vilfridus. «Ubi rusticus?», instat. — «Equum in urbe vendit». Jam iste: «Hem! Certe magnam pecuniae vim domum referet?». — «Quid ad te», indignans Vilfridus. «Hercle» ringens iste,



«tantummodo quaerere volui». Vilfridus suspicatus: «Parum», inquit, «tibi fido». —Iste: «Vita nostra hac aetate dura et rarus panis. Videndum igitur, ut ad nummos facile perveniamus. Ceterum tu nos adjuvabis. Hac enim nocte veniemus, tu portam aperies, mercedem accipies. Sed scito», addit minaciter, «si nos prodideris, cras certe ex stagno hoc extraheris mortuus. Estne planum?». — «Longe istud absit a me», infert puer territus. — «Facies, alioquin...». Quo dicto abiit.

Vilfridus paulum cenatus cubiculum petit, inscius quid agat. Si rem rustico aperiret, a saevo latrone interficeretur. Si minus, colonus optimus damnum pateretur. Tandem negotium aperire consilium iniit. Descendit, colonum vigilem offendit, periculum imminens detegit. Ille: «Cur me hoc celare voluisti? Nonne scis his diebus latrones noctu in domos aliquot irrupisse et caedes esse factas?». — «Timebam», voce incerta Vilfridus, «ne ille nefarius me interficeret. Se enim facturum dixerat. Cum anxius in lecto cubarem, subito putavi me matris faciem pallidam et rugosam cernere et ejus vocem audire: «Cave seductores». Tum demum te certiorem facere constitui». — «Noli timere, nequam ille homo te non interficiet». — Protinus telephonio rem cum urbis proximae securitatis publicae praefecto communicat. Brevi post currus automatus cum viris publicis advehitur. Placet, ut Vilfridus portam aperiat et latrones intromittat. Media nocte porta pulsatur voxque sonat: «Adesne, Vilfride?». Qui: «Adsum», inquit. — «Fac

aperias». Removet vectem, intrant latrones tres. Vix in cubiculum intrarunt, cum subito lumen electricum fulget et vox imperiosa intonat: «Sursum bracchia». Illico turma scelestas ab octo viris publicis cingitur, opprimitur et quamvis reluctans accerrime vincitur. Solus ille irruptionis nocturnae auctor pessime exsecrans citissime in Vilfridum insilit et baculo saeve capiti impacto, humi prosternit.

Puer facie cruore oppleta sensibus destitutus in valetudinarium proxime situm defertur. Biduo post cum sensus recepisset, colonum lecto assidentem vidit. «Remne bene feci» parva voce quaerit. «Optime. Nam non modo domum ab incendio, sed nos etiam a caede servasti. Noli timere. Latrones carcere detinentur, te autem, cum filio caream, hodie adopto. Semper nobiscum eris». Subridet vulneratus et: «Mater», inquit, «me certe contenta est».

N. MANGEOT, e S. J.



## Alumni inter se litteras dant

Joannes Lupus Carolo amico s. p. d.

Accepi litteras tuas et laetissimus sum: imaginem tuam super mensam posui et quotiescumque hanc video, tui memini. In Monasterio Calcatensi ferias scholarum feliciter egi eosque, qui magistri mei fuerunt, vidi.

Per montem quoque qui prope Monasterium est, ambulavi; sunt enim pulchrae silvae et in his nonnumquam lapides sculpti inventi sunt.

Nunc Lutetiae sum et laboro: vita operosa est, et sicut in Hispania dicitis: *¡La vida de París es tan animada!*... Ut placeant joca!


Vale. Scrib. a. d. XI Kal. Februarias.

Joanni amico Carolus s. d. p.

Hodie maximo cum gaudio, quod promisi, complebo tuisque desideriis, certo scio, placebo. Litteris superioribus dixi me longius scripturum cum Celsonam (hispanice *Solsona*) advenissem. Nunc, tempore quo gessi feliciter Novitiatum

## VERBORUM AENIGMA

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13



*In transversum.* — 1, Ira. Vocalis. Gignit; 2, Venter. Altaria Flumen Dalmatiae; 3, Domini. Membra. Vir; 4, Nomen Litterae graecae. Pigritia. Conjunctio; 5, Vocalis Consonans. Sitim habeo. Conson. Conson.; 6, Pecunia. Pronomen (*ablat.*). Deus; 7, Adsto.

## FACETE DICTA

### Caecus rite mori non potest


Sextus olim, cum se morienti amico caeco adfuisse narraret, rogatus est num ipse oculos ejus clausisset. At ille renuens: Quo modo, inquit, id poteram?

Erat enim a puero caecus!

### Thesaurus absconditus

*Staphyla*: Cum modo tapete concuterem, forte sestertium inveni.

*Euclyo*: Euge! Iterum ergo illud concute, iterum, *Staphyla*!



— Si animum ille advertisset ubi poneret pedem!

Conson. Timor; 8, Das jusjurandum. Adverbium; 9, Vocalis. Vir. Conson. Illis. Conson.; 10, Praepositio. Vocalis; Aequus. Consonans. Pronomen; 11, Martis Aegaei insula. Cubo. Praepositio; 12, Diligas. Factum. Agri; 13, Disciplinae. Consonans. Bestias.

*In perpendicularum:* 1, Habuere. Vocalis. Gemmam; 2, Pronomen. I. Non aliquid; 3, Facta. Non sum. Pronom.; 4, Litterae verbi «Ire». Conson. Gentes Indiarum. Pronomen; 5, Vocalis. Pecunia. Vir. Adi. Consona; 6, Ardere (*Perf.*). Conson. Aequus; 7, Instructus. Finitis belli (*Acus.*); 8, Scio. Conson. Factum; 9, Vocalis. Hierosolyma (*deest littera*). Porco. Vocalis. Consona; 10, Adverbium. Vocalis. Oblectamentis. Pronomen; 11, Adverbium. Costa. Aequus; 12, aderas. Factum. Finitis; 13, Floribus. Conson. Vesperas.

DOMINICUS M.<sup>a</sup> GUIMERÁ, C. M. P.

*Barbastris.*

peracto, omnium panduntur disciplinarum libri. Hic enim erit nobis labor per annos tres.

Res novas multas habeo narrandas: Apud nos esse Patrem quendam nostrae Congregationis qui ex regionibus Gallicis advenit nosque linguam gallicam docet... Cantica etiam laetantes canimus quo facilius et lingua et auditu verba capiamus; dein de Gallia valde loquimur.

Decimo septimo Kal. Aug. meipsum Christo conjunctum Deo ferventer obtuli. Fortasse ubi eras Dorniae Monachorum Professionem religionem vidisti; egomet idem feci, quamquam minore sollemnitate, eodem tamen certe animo et voluntate. Postero die omnes qui mecum Professionem peregerant, Celsonam profecti sumus. Urbis conspectum videntes magna afficimur laetitia; ibi ad januam Collegii ab omnibus tum alumnis tum magistris optime recipimur. Collegium magnum est atque juxta oppidum exstructum. Prospicimus montes quamplurimos; haec enim urbs prope Pyrenaeos est.

Hodie satis. Vale. Scrib. Kal. Aug. Celsonae.

Carolo Latorre Franciscus Salas, II.<sup>i</sup> C. alumnus.

Carissime: ut optime sis, ego bene. Laetitia fuit magna mea cum epistulam acciperem tuam, et te optimum esse vidi.

«Castra aestivalia» reliquimus die vicesimo primo mensis augusti et hora nona cum comitibus nostris Alabonae eramus. Cursum incipiemus die vicesimo primo proximi mensis; quem nos ut incipiat valde jam optamus

### AD SALTUM EQUI

U	NA	FI	NA	ES
PA	MI	NA	SIG	DEN
TA	A	GI	IN	SED
DO	LIS	NI	TI	RA
TU	FI	LI	CER	NOS
BEL	TA	TRI		NE

Invenit: JOSEPHUS A. COSTA, Celsonae

### MEI OPTIMI AMICI

Sunt amici quorum gratissima est sodalitas. Mihi adsunt a prima aetate in omni loco. Simul in acie et in silentio mecum adoleverunt atque ex disciplinarum cognitione, magnos honores obtinuerunt.

Facile ad illos adire possum, nam mihi cum semper sint obnoxii, libenter exspectant. Illos excipio aut dimitto. Nunquam molesti, quaestionibus respondent. Alii clarorum hominum facta referunt, alii abdita naturae explicant. Hi vivere, illi mori me docent.

Alii sua festivitate curas meas remittunt et animum laedificant; virtute sua me roborant, celeriter omnium artium et scientiarum abscondita revelant suisque testimoniis fidere possum.

His solaciis adhibitis tantum humile habitaculum, ubi requiescere possint, appetunt, nam magis quam hominum strepitu et frequentia, pace delectantur.

Hi amici mei... sunt libri.

JESUS M. MARTÍNEZ C. M. F.  
Celsonae.

*Ancilla:* Ei mihi! Stragula in quibus Paetulus noster dormire solet, casu per fenestram ceciderunt!

*Mater:* Vide tamen, stultissima, ne tua opera frigeat nunc infantulus meus et aegrotet!

*Ancilla:* De ea re, Domina, noli anxia esse; Paetulus enim in stragulis erat!

JOANNES LUPUS DELMAS,  
Philosophiae alumnus  
Lutetiae Parisiorum.

In Institutis, Collegiis, Seminariis ubi alumni socii seu subnotatores sint numero saltem decem, pretium P. Adolescentium erit:

15 pesetarum.

## C. MUCIUS



C. Mucius, adulescens nobilis cui indignum videbatur populum romanum, tum liberum, ab Etruscis obsideri, quorum exercitus saepe Romani fuderant, magno audacique aliquo facinore dedecus civium vindicare constituit.

Senatum cum adiisset: «Transire Tiberim, inquit, patres, et intrare, si possim, castra hostium volo; non praedae studio neque ulciscendi Etruscorum populationes: majus, si di adjuvant, in animo est facinus». Approbant patres. Abdito intra vestem ferro, proficiscitur.

Ubi in castra hostium venit, in confertissima turba prope Porsennae regis tribunal constitit. Ibi cum stipendium forte militibus daretur, et scriba, cum rege sedens, pari fere ornato, multa ageret eumque milites adirent, C. Mucius nesciens uter Porsenna esset, se fortunae committens, scribam pro rege obruncat.

A regis satellitibus comprehensus: «Romanus sum, inquit, civis; C. Mucium me vocant. Hostis hostem occidere volui; nec ad mortem minus paratus sum quam ad caedem. Et facere et pati fortia romanum est. Nec unus in te ego hunc animum gessi: longus post me ordo est idem petentium decus. Proinde in hoc discrimen accingere; ferrum enim hostemque in vestibulo regiae habebis».

# SCAEVOLA

Cum rex, simul ira infensus periculoque conterritus, circumdari ignes juberet nisi propere exponeret illas insidiarum minas, tum C. Mucius: «En tibi, inquit, ut sentias quam vile corpus sit iis qui magnam gloriam appetunt».

Dextramque accenso ad sacrificium foculo injicit; quam cum velut alienato a sensu animo C. Mucius terreret, rex eo attonitus miraculo, a sede sua prosiliens: «Juberem, inquit, te macte virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret. Tu vero abi; nunc jure belli liberum te, intactum inviolatumque hinc dimitto».

Tum Mucius, quasi remunerans meritum: «Quandoquidem, inquit, est apud te honor virtuti, scito te beneficio laturum esse a me quod minis nequivisti: trecenti conjuravimus principes juventutis romanae, ut in te hac via grassaremur. Mea prima sors fuit; ceteri, suo quisque tempore, aderunt».

Porsenna Romam legatos misit. Adeo moverat eum et primi periculi casus et subeunda dimicatio dum conjurati superessent, ut pacis condiciones ultro ferret Romanis, et exercitu a Janiculo deducto, agro romano excederet. Patres C. Mucio, virtutis causa, trans Tiberim agrum dono dederunt.



## OSCURAE VENIENT RURSUS HIRUNDINES

*Volverán las oscuras golondrinas*

(interpretatio carminis G. A. BÉCQUER)

*Obscurae venient rursus hirundines  
nidos ex podio quae luteos tuo  
suspendant citoque alis  
pulsabunt iterum vitra.*

*Quae, cursu celeri paulo coërcito,  
perspexere domos nostraque nomina  
nos laetosque canebant  
illae... non venient dehinc.*

*Ascendent hederæ moenia denuo  
densatae rigui mox viridarii;  
rursum vespere blanda  
pandent florea germina.*

*Illae verum hederæ roribus umidis  
tectae, quae ex folio, sicuti lacrimae  
maestae, lene cadebant,  
hae... scandent minime dehinc.*

*Inflammata sonos auribus in tuis  
reddent verba iterum grataque barbytos.  
Somno discutiatur  
forsan cor tenerum tuum.*


*Sed mutus, genibus nixus uti rogant  
mortales Dominum, crede mihi bene,  
te per saecula, sicut  
dilexi, nemo diliget.*

Latine reddidit

JOSEPHUS BELTRÁN

Barbastri

V<sup>i</sup> Cur. Alum.



## De singulari ursi venatione

Marcus, puer optimae indolis, ad omnia tamen credenda facillime adducitur. Ejus pater venator est, quem in montes nonnunquam comitatur.

Quondam e schola egressus, cum Antonio aequali sed admodum garrulo, domum conveniebat. Usu doctus Antonius haec fecit verba:

—Quo, inquit, hert ab schola absens profectus es?

—In montes, at..., mihi crede, perarduum est et in ancipiti ursi venatio, etiamnunc —plane tibi—, defetiscor et aegre anhelitum duco; ursum vero nusquam inventimus...

—Animum adverte; rationem etsi aliquantulum implicatam sed certissimam, mi Marce, novi. Opus est farinae sarcina et nonnullis gelu frustis et speculo; juxta arborem fossa et in eam farina infodienda ramisque tegenda. In arbore speculum suspendito. Arbori adjunctum gelu instar lecti conformabis. Dein venit ursus, ramos inspicit —ut olet!—, in farinam procumbit eamque miratur, neque quare id fiat intellegit, sed sese in eam voluntat. Magnis egredi vult conatibus, sed in arbore rem aspicit miram. Se in arbore contemplatur candidum et ursum album se ex polo stulte arbitratur. Proindeque gelu iterum accumbit et —mirabile visu!—, ut nunc tecum loquor, frigore riget. Tum commode illum domum asportas...

—Res perplacet, gratias tibi, Antoni, patrem accurro delatum.

\* \* \*

Antonius paulisper cunctatus secum cogitat illusum Marcum minus habendum...

JULIUS ANDRÉS MARQUÉS  
tertium perficit Cursum

Alabonae, in Collegio Claretiano.

—Falleris, fili; haec belua non est!

GEORGIUS BERNET

Celsonae.

## ORATE, FRATRES...

XXV ANNIVERSARIUM  
ORDINATIONIS SACERDOTALIS

(Romae 15-IV-1933)

R. P. Eustasii Joannis Martín

a V. de Columna O. R. S. A.

die festo Ss. Innocentium a. 1958

in opp. NOALLAS (in pro. Caesaraugusta)  
sollemniter celebratum

Quos legis versus oculis amittis,  
hos tibi finxi, placida quiete  
noctis, ingentes meditatús ignes  
Cordis lesu.

His enim tantum violenter uri  
corpus et mentem volo. Sum sacerdos!  
et Sacerdotem peramabo summum  
pectore grato.

Non meis certo meritis, Dei sed  
gratia sacro sum oleo perunctus,  
urbe cum Roma, metuens, recepti  
presbyteratum.

Dulcis o Jesu! Tuus esse totus  
jamdiu voto triplici spondi:  
hac die fausta pariterque totum  
me tibi dedo.

FR. EUSTASIUS J. MARTÍN  
a V. de Columna O. R. S. A.

— Quomodo vis pisces hamo educere  
si ex illo malum pendet? Vermiculum  
suspendas oportet...

— Ita vero, sed vermiculus intus est!

ANTONIUS LUNA

Barbastri.

IV C.

Cum duae dominae in aëroplano avo-  
larent, aëronautam vocaverunt etque di-  
xerunt: «Ne aëroplanum celerius sono  
duxeris; loquit enim volumus....»

STEPHANUS ESONO, IV C.

Alumnus Guineensis.

DE RITU FUNERUM OLIM APUD  
VETERES ROMANOS

Humani dramatis postremus actus morte ter-  
minat, eamque sequitur *Funus*. Summo autem  
studio veteres funus curabant: quia credebant  
animas insepultorum ad sedes quietas non ad-  
mitti, vel saltem centum annos juxta *Stygiam*  
paudem oberrare, antequam eam transmittere  
possent; unde si ipsis cadaveribus petiri non pos-  
sent, *tumulum* tamen *inanem*, sive *cenotaphion*  
(quod tamen locum religiosum non faciebat) ipsis  
statuebant, aut, si cadaver inhumatum viderant,  
glebas saltem ei iniiciebant (aut *lapidabant*, i. e.  
lapidibus obruebant), quique illud non fecisset,  
placulum commisisse credebatur, et porcam  
praecidaneam Cereri mactabat: unde nullum ge-  
nis mortis aequè abhorrebant ac naufragium.

Ex *ephemeride* cui titulus *TIRONES*, an. II,  
1959, p. IV, *Paulae*, in Italia.

JOHANNES GALINA, anno V.º



— Da mihi convolvolum tabaceum (cigarro)...  
Habesne plures?

— Minime, nunc pauciores sunt mihi.

— Quare, puer, scholam non petis?

— Peto, nonne vides?

— Meridies jam est et nondum in eam in-  
trasti.

— Ego scholam peto..., sed non intro!

Barbastri.


I. BONET  
V. C.

## NUM BENE POEMATATA HORATIANA NOVISTI?

Infra sunt decem excerpta ex operibus Horatii Flacci, quorum cuique deest unum verbum sex litterarum. Prius dimidium omnium quae absunt verborum (excepto primo!) idem est quod alterum dimidium verbi prioris; ita fit huiusmodi series: *HOSTEM, TEMNIT, NITENS*.

1. Qui sibi fidit, / dux regit xxxxxx.
2. Ille dapes laudet xxxxxx brevis.
3. Quid hoc veneni xxxxxx in praecordis?
4. Davus, amicum / mancipium domino, et frugl, quod sit satis; hoc est, / ut xxxxxx putes.
5. Si cui praeterea validus male filius in re Praeclara sublatus xxxxxx, ne manifestum Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem Adrepe officiosus.
6. Milesne Crassi conjuge barbara xxxxxx maritus vixit?
7. Contracta xxxxxx aequora sentiunt Jactis in altum molibus
8. Impositus mannis, agrum caelumque Sabinum Non xxxxxx laudare.
9. Sunt quibus in xxxxxx videor nimis acer.
10. Romae nutriti mihi contigit, atque doceri xxxxxx Grats quantum nocuisset Achilles.

## VERBA QUADRATA E VERBIS AENEIDOS COMPOSITA



*Vestigia:* 1, Hoc aedificium plangoribus femineis ululat.

2, Huic rei, quam praebet Luca bos, manus addunt decus.

3, Letum . . . . hospitis Argi.

4, Cujus ad umbras descendit vir pietate insignis.

5, Quid fert Sirtus ardor mortalibus aegris?

HERBERTUS H. HUXLEY  
ex Universitate Mancuniensi

## EX ANGLIA JOCORUM MANIPULUS

*Parricida* confitetur. Patrem necavi...

*Confessor:* Ora sexies «Pater noster et Ave Maria» et cave ne hoc iterum facias.

Highcliffe, F. J. Hammes

*Praeceptor* anglus eloquentiae peritissimus: Quis hoc dixit «Venio ut Caesarem sepeliam»?


*Discipulus:* Libitinaris, nonne?

Highcliffe, V. McGuckian

*Julius:* Cur umbellam tuam appellas «Adamum»?

*Titus:* Quia una e costis ei deest.

Highcliffe, J. Schlich



SINE VERBIS

## IN MAGNA HOMINUM FREQUENTIA

—Heus, tu, asine, vide quid facias, nam me pedibus calcasti!

—Ignosce mihi, obsecro; in tanta multitudine nihil quidem mirum si alius alium pede premit.

MODESTUS FERNÁNDEZ

Samis.



## DUAE SORORES

Fuerunt duae sorores virgines quarum alteram, natu minorem, adulescens nuptum petiit. At vero major, rem non aequè ferens quod se, quae prior nata esset, priorem debere in matrimonium collocari existimabat, sorori invidere coepit. Quae in re tanti momenti sibi non defuit.

Parentes autem, de utraque aequè solliciti, cum illae dies noctesque inter se iurgarent neque quidquam domi nisi per iram dicerent aut facerent, modo uni modo alteri accitae persuadebant ut soror sorori locum cederet; diu sed frustra id conati, postremum consilium inierunt litem fortunae dirimendam committere ut ipsi collocare vellent alterutram cujus olla, igne supposito, prior efferbuisset.

Hac cōdicione accepta, extemplo duo parati arida stipula a sororibus faci hisque duae, cum aqua quantitate pari, impositae ollae. Quibus eodem temporis momento admotis flammis, cerneret virgines inflatis genis ac rubentibus sudoreque manantes in suum quamque uti folles exsufflare: vetuerant enim parentes quominus flabellis uterentur.

Sed major magis animo agitabatur atque tantopere de rei exitu anxia erat ut num sua aqua ebulliret, remoto operculo, crebrius inspiceret; minor vero, femina mente pacatior et ejusmodi rei prudentior, id facere consulto abstinebat.

Quid plura? Hujus olla prior efferbuit et virgo, certamine victrix, juveni petenti desponsa est.

PIUS PIAZZA, O. C.

Messanae in Italia

	1	2	3	4	5	
1						Italiae portus
2						Novi
3						Urbs maritima Bithy- niae (dat.)
4						Inachi Filia
5						Interjectio

## AENIGMATA

1. Quo modo felem, quae in puteum incidit, extrahes?
  2. Quando quis ponderosior et gravior est?
  3. Quidnam agit panis cum dividitur?
  4. Fortissimus gigas sum: duodecim natos, ex unoqueque triginta nepotes habeo, et ex nepotibus alii sunt albi alii nigri aequi partibus.
  5. Si horologium quattuordecim emitteret sonos, quanta esset hora?
  6. Quodnam secretum tenent semper mulieres?
  7. Omnes ad sacra convoco, ego vero non intersum.
  8. Quisnam in caelis manducat?
- Quae aenigmata exarata et perpolita sunt a

JOSEPHO M.<sup>a</sup> CAMPS  
Philosophiae alumno  
Celsoniae.

Q


Legisne?

- Audi, puer, quot annos natus es?
- Ego novem annos natus sum.
- Et quot superiore anno egisti?
- Octavum annum egi.
- Ergo septendecim annos natus es, nonne? Quia, si novem ad octo addas, summa septendecim fiet annorum...

MARIANUS ORTIZ  
Barbastris. IV c.

# PERIIT GALLUS, PRO DOLOR!


Pueri in quattuor choros distribuuntur et unusquisque chorus ad singulas litteras A-B-C-D ex ordine canere incipit



Ki - ki - ri - ki - ki - ki - ki - ki!  
Pe - ri - it gal - lus, pro - do - lor!



Ko - ko - ri - ko - ko - ro - ko - ko - ko! ki - ki - ri - ki - ki - ki - ri - ki - ki - ri -  
Pe - ri - it gal - lus pro do - - - lor! Numquam ca - oet sic: ki - ri - ki - ki - ri -



ki! ko - ko - ko - ri - ko! Ko - ri - ko - ko - ko - ko!  
ki! Nec so - na - bit vox: Ko - ri - ko - ko - ko - ko!

## SOLUTIONES

(cfr. PAL. LAT., 1959, IV, p. 250, 251, 252,  
P. Adulescentium, n. 20, p. 38, 39, 40)

VERBORUM AENIGMA. — *In transversum*: 1 laxo, sica; 2 in. regia, ac; 3 n, Sarsina, u; 4 ora, g, b, lts; 5 Argo, abeo; 6 dc, no (on); 7 exit (iixe), Sina; 8 non, n, u, isa; 9 a, assides, c; 10 tu, Iesus tu; 11 otis, cras.

*In perpendicularum*: 1 lino, nato; 2 an, radio; ut; 3 x, sarcina, i; 4 ora, g, x, sis; 5 ergo, ense; 6 g, s, si (is); 7 abli (iiba); udus (sudu); 8 san, b, i, esc; 9, aleonts, r; 10 ac (ca), Ionas, at (ta); 11 acus, acus.

AD SALTUM ECULEI: Puras, Deus, non plenas, aspicit manus (P SYRUS).

TRIANGULUS MAGICUS: 1 Italia; 2 talis; 3 alis; 4 lts; 5 is; 6 a.

—Cur hoc autocinetum furatus es?

—Cum currus esset ad coemeterii januam, autocineti dominum mortuum esse putavi...

Barbastri.

ALOISIO GARCÍA  
IV c.

Dixit luscus homini gibbero quem, alben-  
te caelo, ad viam vidit:

— Multo mane, amice mi, onere onustus  
lter facis.

— Multo quidem mane, alter respondit,  
esse videtur cum tu unam tantum fenestram  
apertam habeas.

Barbastri.

JOANNES GRAU  
IV c.

— Mater, estne verum omnes post mortem  
in pulverem conversum iri?

— Ita vero, fili

— O, quot ergo mortuos sub lecto habe-  
mus!

Barbastri.

JOANNES SOCÍAS  
V c.

— Quid fecit Christophorus Columbus  
cum in Americam pervenit postquam de navī  
descendens pedem humi posuit?

— Alterum posuit et pedem!

Artaxone.

CARMELUS LÓPEZ  
III c.

# BIBLIOGRAPHIA

RAHNER, HUGO. — *Griechische Mythen in Christlicher Deutung*. Mit 11 Kunstdrucktafeln. Rhein · Verlag. Zürich, 1957.

Quantae sint utilitatis litterarum graecarum latinarumque cognitiones patet ex hoc libro cum ad delectationem aptissimo tum ad rem valde pertinenti. Etenim quam rem in eo evolvendam suscepit, auctor, tam plene evoluit atque enucleavit ut animus sincerus recognoscere teneatur quam recte H. RAHNER affirmaverit et evicerit nos barbaros effectos esse, barbaros dico hodiernos, eo barbariores quo scientia et cognitione et «technè» pleniores nos profitemur et gloriamur.

Auctor explicat quomodo veteres Ecclesiastici Scriptores antiquorum «symbola», fabulas mythosve novae doctrinae tradendae et proponendae accommodaverint quibus mythis eo liberius et utilius sunt usi quo eo tempore apud homines magis inventi essent et ab omnibus facilius capi possent. Neque Auctor eorum opiniones probat qui Ecclesiam veritates religionis et cultum ex paganismu mutuasse asseverarunt, neque apologistarum s. II qui aiebant mysteria pagana a Moyse et Prophetis mutuata temporum cursu a philosophis poëtisque esse deformata. Quod cum rite demonstravit, crucis mysterium et baptismi, solisque mysterium et lunae enucleat, quod lunae et solis mysterium ad convenientiam conjunctionemque Christi cum Ecclesia clarius commonstrandum optime inservit. De his in prima parte: *Mysterion*.

In altera parte (*Seelenheilung*) agit de symbolis Moly et mandragorarum, quae symbola sunt vegetalia et instrumenta cantionibus apta quibus Patres Ecclesiae sensum asceticum et moralem indiderunt.

Tertia pars de «Sancto Homero» (*Heiliger Homer*) agit, qui, de Re Publica a Platone exclusus ab Stoicis autem purgatus, tempore eventit animorum dux atque magister in Odysea praesertim, cum in Ulixis erroribus patefecerit hanc vitam ad vitam ulteriorem peregrinationem esse. Malus navis Odyssei nonne crucem Christi adumbrare potuit cui alligatus heros a svrentis est liberatus?

H. RAHNER in his omnibus evolvendis ita procedit: ex Homeri fragmento symbolum seligit, et quo modo de gente in gentem et ab

aetate in aetatem migraverit, exquirat. In quo miram eruditionem omniumque rerum cognitionem, exactam exhibet. Deinde «symboli» perpetuitatem perpendit prout a Patribus Ecclesiae derivatum est ad veritates fidei explicandas his gentibus quae mythorum veterum animum saturum habebant.

Haec omnia cum penitus investigavit, copiosa doctrina litteris mandavit. Quo factum est ut opus perfectum scripserit quo jam tertio editum, et quod in posterum edatur dignissimum est et quod in alias linguas convertatur.

A. BADIA, A. GRIERA, F. UDINA. — *VII Congreso Internacional de Lingüística Románica*. Universidad de Barcelona, 7-10 abril de 1953. Tomo II: Actas y Memorias, publicado por... VII Congrès International de Linguistique Romane... Vol. I, pg. 528. Vol. II, pg. 972. Abadía de San Cugat del Vallés. Barcelona, 1955.

Anno 1953 a die 7 ad 10, m. aprilis, Barcinonem convenerunt «romanistae» ex omnibus gentibus qui quaestiones de lingua catalaunica iterum evolverent et disputarent. Cujus Conventus Acta et Documenta anno 1955 edita sunt et evulgata, quae tandem ad manus cum pervenerint, lectoribus perlibenter offerimus. En duo grandiora volumina, in quibus collecta sunt praecipua quae recentes romanicarum linguarum studiosi viri invenerunt et existimarunt de lingua catalaunica amplissimo sensu accepta, quod ad historiam, linguae «dominium» seu usum, quod ad poësim, ad textus editos edendosve, praecepta, syntaxim, quod ad elementa praeromana, mozarabica, ecclesiastica, quod ad «romanisticam», quam dicunt, generalem, ad elementa non latina, quod ad nexus inter dialectos romanas, geographiam linguisticam; de linguis Pyrenaeicis, de toponymia et anthroponymia, cet. Ut patet amplissimum campum haec volumina complectuntur. Qui proinde de lingua catalaunica prout romanica est in posterum aliquid disputare voluerit, necessario in his densis voluminibus multa inquirere tenebitur si noctuas Athenas ferre noluerit.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

# Cursus linguae latinae Polyglophonus C C C

Nuper in lucem est editus *Cursus linguae latinae Polyglophonus CCC*.

Magistri et alumni novam in promptu habent rationem qua facilius, jucundius, altius linguam latinam assequantur.

Praecipua autem virtus hujus novae rationis in eo est posita ut lingua latina tradatur et ediscatur sicut aliae hujus aetatis linguae patriae *per sonum et imaginem*, id est et dialogos audiendo et res inspiciendo. Inspicies autem mirificas pulchrasque picturas quibus tota Romanorum vita privata et publica in singulis fasciculis ante oculos proponitur et evolvitur; verborum autem lexicon, rerum depictarum index, illis picturis praeponitur. Audies etiam discos phonographicos quibus arbitrato tuo eadem repetens et in memoriam reducens, verba et locutiones percommode mente percipies.

Grammatica vero ratione quasi auxiliari traditur ac, quae in disco sunt prolata, subinde commemorantur et secundum leges grammaticas explicantur.

Atque illud sane praecipuum in hac nova latinitatis ediscendae via quod alumnus statim in ipsos Romanorum mores inducitur: nam picturis et dialogis id efficitur ut alumnus altam percipiat animi institutionem, non tantum e lexico latino, sed ex ipsis rebus quibus Romani litteras artesque nobis tradiderunt, quibusque cultus et humanitas viri eruditi constituitur.

Si vis ergo in lexicon latinum, in verborum origines, in leges grammaticas, in Romanorum vitam penetrare; si jucunde, sine multo mentis labore, optas ut praecepta linguae latinae menti inhaereant, hac nova utere via et ratione.

In nullo Collegio, Instituto, Lyceo, Seminario deesse debet novus *Cursus linguae latinae Polyglophonus CCC*.

## PRIMA PARS

constat 6 discis minutis sulcis incisis (*microsurco - microsillon*),

aut 12 discis grandibus sulcis incisis (*normales*),

12 libellis in quibus picturae, dialogi, leges grammaticae, verborum origo seu etymologia, monita et praecepta proponuntur quibus syntaxim percipias et scriptores classicos convertas.

12 folia adnexa quibus exercitationes cujusque libelli perficias; has vero exercitationes ad *Moderatores Polyglophoni CCC* mittes qui ad te recte emendatas iterum deferendas curabunt.

## PRETIUM, PRIMA PARS:

12 libelli cum discis in capsula chartae crassae (*cartón*) venit 1325 pesetis.  
in theca «plastica» (*plástico*) venit 1425 »

De omnibus te certiore facient PALAESTRAE LATINAE Moderatores: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca-España)

CURSUM LINGUAE LATINAE POLYGLOPHONUM C C C

edidit **C**onsociatio ad animi **C**ultum **C**ommercio epistularum  
adispensum **CCC**

**CENTRO DE CULTURA POR CORRESPONDENCIA C C C**

Apartado 108 - SAN SEBASTIAN (España)